DISSERTATIO

inauguralis medica

de

ISCHIADE,

quam

sub Auspiciis

REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS,

Domini Domini

ALOYSII JOSEPHI

KRAKOWSKY,

e. S.R.I. COMITIBUS a KOLOWRAT, L.B. ab UGEZD, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPI PRAGENSIS, SEDIS APOSTOLICAE PER INCLYTUM REGNUM BOHEMIAE, NEC NON PER CELEBERRIMAS BAMBERGENSEM, MISNENSEM, ET RATISBONENSEM DIOECESES LEGATI NATI, INCLYTI REGNI BOHEMIAE PRIMATIS, ECCLESIAE METROPOLITANAE OLOMUCENSIS CANONICI, SUAE CAESAREO-REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS CONSILIARII INTIMI, ALMAE ET ANTIQUISSIMAE CAROLO-FERDINANDEAE UNIVERSITATIS PRAGENSIS CANCELLARII PERPETUI, ET STUDIORUM PROTECTORIS &c.

sub Rectoratu

PERILLUSTRIS, CELEBERRIMI AC MAGNIFICI VIRI

Domini

VINCENTII JULII

KROMBHOLZ,

Medicinae Doctoris, Pathologiae et Therapiae specialis, nec non institutionum clinicarum Professoris. C. R. P. O. Chirurgiae theoreticae, Medicinae forensis atque Politiae medicae optime emeriti, Nosocomii generalis Pragensis Physici primarii, Instituti pro surdo-mutis Physici, Orphanotrophii ad Joannem Bapt. Antistitis et Medici ordinarii, Societatis Musei bohemici nationalis Membri honorarii, reg. boh. Societatis scientiarum Membri ordinarii, ac Universitatis Pesthinensis et aliarum Membri honorarii, in alma et antiquissima Caes.-Reg. Carolo-Ferdinandea Universitate Pragensi h. t. Senatus Academici in publicis et politicis Praesidis, Procancellarii et Rectoris Magnifici &c.

SUB DIRECTORATU

Magnifici, Perillustris ac Celeberrimi

Domini

IGNATII NADHERNY,

Medicinæ Doctoris, artis obstetriciæ Magistri, ad inclytum Regni Bohemiæ Gubernium Consiliarii Cæs. Reg. actualis, per Bohemiam Protomedici, Medicinae forensis et Politiae medicae Professoris p. o. nec non Universitatis Rectoris optime emeriti, Celeberrimae Facultatis medicae Praesidis, Senatus Academici in publicis et politicis Assessoris, atque Studii medici Directoris etc.

DECANO

ILLUSTRI, SPECTABILI AC CELEBERRIMO

Domino

FRANCISCO A. WÜNSCH,

Medicinae Doctore, Pathologiae et Theraphiae generalis, nec non Pharmacologiae Professore supplente, Senatus Academici in publicis et politicis Assessore, Candidatorum pro suprema Doctoratus medici Laurea Examinatore, etc.

coram

Caesareo-Regiis in eadem Facultate

DOMINIS PROFESSORIBUS

ac

tota celeberrima Facultate

publicae Eruditorum disquisitioni submittit:

Josephus Aloysius Dörell,

Čechus Kuttenbergensis, artis obstetriciæ Magister, pro suprema Doctoratus medici Laurea nec non Chirurgiae Candidatus.

In Theses adnexas disputabitur in magna Aula Carolina hora 10ma matutina, die 23 mensis Julii MDCCCXXXI.

TRACTATUS

DE

ISCHIADE,

ADNEXIS DUABUS HISTORIIS MORBI.

AUCTORE

JOS. AL. DOERELL,

MAGISTRO ARTIS OBSTETRICIAE.

PRAGAE 1831.

Typis Archiepiscopalibus.

La médecine a encore de grands pas à faire dans la recherche des inflammations.

Bichat.

REVERENDO DOMINO

JOANNI KŘIKAWA,

PRESBYTERO ECCLESIASTICO, PRO DOCT. PHILOSOPH. LAUREA CANDIDATO ET SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS PRAGENSIS ALUMNO,

AMICO

CARISSIMO AC PERDILECTO

in amicitiæ monumentum

dicat

Auctor.

Proëmium.

Medicinæ in annum 5tum studiosus ischiadis specimen in clinico nactus observandum, ad multorum inclytissimorum auctorum opera pervolvenda urgebar, mirabarque valde, tot et adeo diversas, sæpe sæpius sibi oppositas opiniones legens.

Tunc temporis jam mihi venit animus omnia hæc scrutandi, falsa ac erronea exterminandi, veraque inde seligendi; experientia autem fere omni destitutus, opus illud arduum inchoare vix ausus sum.

Nunc tamen, supremam doctoratus medici lauream aspirans, et lege augustissima adstrictus, ad tractatum de re quadam medica publicæ eruditorum disquisitioni subjiciendum; quum præ-

terea plura ab hinc ischiadis specimina observassem, arduum præsens opus aggredior, in quo pertractando plures jam ingeniosi peccavere.

Parcas ideo, lector benevole, et ignoscere velis errores inevitabiles, in hisce pagellis, litterarum mearum primitiis, obvenientes, exopto enixeque flagito.

Pragæ, 30. Martii 1831.

Auctor.

Index

operum et auctorum qui in hocce opusculo citantur.

Aeginetae Pauli opera, libri VIII; græce, Venetæ. 1528. fol.

Baglivi opera omnia medico - practica et anatomica, Antwerpiæ. 1719.

Barthez Abhandlung über die Gichtkrankheiten; übers. Berlin. 1803. Thl. II.

Bauer tractatus de fonte minerali Tetschnensi in regno Bohemiæ. Edit. 2da Pragæ. 1771. 8.

Boërhave Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis. Lipsiæ. 1739. 8.

Cadet de Vaux neue Heilmethode der Gicht und des Rheumatismus; übers. v. Kocchy. Ilmenau 1825.

Celsi de medicina libri VIII. cura Th. Ameloveen. Amstelodami 1713.

Chelius Handbuch der Chirurgie, Heidelberg 1826.

Cotunni commentatio de ischiade. Carpi 1768.

Dierbach's neueste Entdeckungen in der Materia medica. Heidelberg und Leizig 1828.

Dreyssig's Handbuch der medizinischen Diagnostik.

Edinburgh medical and surgical Journal 1821. October et 1825. Juli.

v. Froriep Notizen aus dem Gebiethe der Natur - und Heilkunde 27. Bd. 1830.

Gesneri epistolarum medicinalium libri III. Tiguri 1577.

Haase über die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten. 4. Bd. Leipzig 1820 — 29.

Home's klinische Versuche. 8.

Hoven's Handbuch der praktischen Heilkunde, Heilbronn 1806.

Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde. 41, 44, 46, 47, 55, 59, 61, 62, u. 67. Bd. 1815 — 28.

Hippocratis Coi et Claudii *Galeni* *αρχιατρων* opera, edit. Charter. Lutet. Paris. 1679. fol. XIII. Vol.

Journal complementaire. Paris 1822. Juin.

Klein interpres clinicus. Francofurti et Lipsiæ 1759.

Koelpin über den Gebrauch der sybirischen Schneerose in Gichtkranken. Nicolai 1799. 8.

Kreysig über den Gebrauch der natürlichen und künstlichen Mineralwässer von Karlsbad, Embs, Marienbad, Eger, Pyrmont und Spaa. Leipzig 1825.

Langenbeck's neue Bibliothek für Chirurgie und Ophthalmologie 2. und 4. Band.

London medical repository and review. 1825. August.
Observations interessantes sur la cure de la goutte et du rhumatisme. Paris 1747.
Petrini neue Heilmethode des nervigten Hüftwehs, übers. v. Spohr. Detmold 1787.
Pringle Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee. übers. v. Greding. Altenburg 1754.
Propper Dissertatio de ischiade. Vindobonæ 1829.
v. Raimann Handbuch der speziellen medizinischen Pathologie und Therapie, 2. Bd. Wien 1826.
Raulin des maladies occasionées par les promptes et frequentes variations de l'air. Paris 1752.
Recueil periodique de la societé de medecine de Paris. N. 43.
Reisich Dissertatio de Coxalgia. Pragæ. 1823.
Reydellet, in dictionaire de sciences medicales Tom L. Sciatique.
Richter's spezielle Therapie. Berlin 1813 — 26.
Rust Arthrokakologie oder über die Verrenkungen durch innere Bedingung &cet. Wien 1817.
Sachs Handbuch des natürlichen System's der praktischen Medizin. Leipzig. 1828.
Schmalz Versuch einer mediz.chir. Diagnostik in Tabellen. Dresden und Leipzig 1825. fol.
Selle medicina clinica oder Handbuch der medizinischen Praxis. Ofen 1798.
Stoerk annus medicus secundus. Vindobonæ 1759.
Stoerk libellus secundus de cicuta. Vindobonæ 1761.
Stoerk libellus de stramonio, hyoscyamo et aconito. Vindobonæ. 1762.
Sydenhami praxis medica experimentalis. Lipsiæ 1717.
Theden Unterricht für Unterwundärzte &cet.
Tulpii observationes medicæ, Amstelodami 1672.
Van der Hayden Discours et advis sur les flux de ventre douloureux, a Gand 1645.
Van Swieten commentaria in aphorismos Boerhavi. Tom. V. Hildburghusæ 1742 — 73.
Vogel's Handbuch für praktische Aerzte. Wien 1828.
Vogt's Lehrbuch der Pharmacodynamik. 2. Bd. Giessen 1821 — 26.
Volpi saggio di osservazioni e di espereinze medico-chirurgiche fatte nello spedale civico de Pavia.
Walter's u. Graefe's Journal für Chirurgie und Augenheilkunde, 3, 4, u. 8. Band. Berlin.

Denominatio et sedes morbi.

ISCHIAS proprie est affectio inflammatoria cum suis malis sequelis, nervum solum ischiadicum vel cruralem, et quidem vel ejus neurilemma, vel substantiam ipsam medullarum prehendens; nihilo minus haec denominatio sæpissime tam lato sensu a variis auctoribus adhibebatur, ut plures adhuc affectiones, longe diversarum etiam partium, in regione ossis ischii positarum, hoc verbo designarentur. Inde illa synonyma, quæ in operibus pathologico — therapeuticis plurimorum virorum, ut *Boërhave*, *Klein*, *Pringle*, *Selle*, *Vogel*, *Hoven* etc. obveniunt; et inde fit, ut sub inscriptionibus: Ischias, Malum ischiadicum, Sciatica, Ischiagra, Osphialgia, Gonagra, Pudendagra, Coxagra, Dolor coxendicus, imo et Coxalgia, Hüftweh, Hüftgicht etc. hi morbi, quasi ejusdem naturae essent, sub una eademque imagine inveniantur. — *Cotunnius* primus sibi laudes promeruit, quod affectionem nervi ischiadici et cruralis ab illis morborum formis distinxit, et tanquam proprium morbum nomine *Ischiadis nervosae* designavit. Secuti sunt illum *Home*, *Reydellet*, *Langenbeck*, *Sachs*. Probe enim distinguenda Ischias nervosa Cotunnii ab istis morborum formis; differt enim tum quoad sedem, tum quoad decursum. Huncce nunc morbum, quem Cel. *Sachs* argute nomine *Neuritidis ischiadicae et cruralis* designat, dilucidare, meum erit pro viribus conamen.

Non alienum autem a proposito esse mihi videtur, ut belliducis instar, qui, priusquam strenuum certamen committat, proelii campum undequaque cognoscere adlaborat, et ego aliqua de anatomica organi, in quo morbus depingendus residet, structura proferam, multa enim inde explicabuntur symptomata, atque decursus morbi ipse clarior fiet.

Cum autem secundum Cotunnium ipsum *Ischiadem anteriorem* et *posteriorem* distinguamus, prior nervum cruralem, posterior autem nervum proprie ischiadicum prehendat, hos ideo nervos describere meum nunc esse arbitror.

Nervus cruralis (Fig. I.) componitur ex primis 4 nervis lumbaribus, inter musculum psoadem et iliacum internum positis; egreditur pelvim sub ligamento Pouparti, pone arteriam cruralem, et dividitur in ramos:

1. *Cutaneos anteriores*,
2. *Cutaneos interiores*,
3. *Nervum saphenum*, qui initio arteriam cruralem concomitatur, in 3tia autem inferiori cruris parte musculum sartorium perforans, cum vena saphena magna ad pedem decurrens cutem in interna parte cruris et hallucis vivificat.
4. Præterea nervus cruralis plures ramos *musculares* ad musculum sartorium, tensorem fasciæ latæ, gracilem, rectum femoris et reliquos extensores crucis mittit.

Nervus ischiadicus, (Fig. II) crassitie inter omnes nervos excellens, ex ultimis 2 nervis lumbaribus, et 3 primis nervis sacralibus compositus et in unum truncum collectus ex pelvi per incisuram ischiadicam majorem infra musculum pyriformem prodit, a glutæo medio et maximo tectus, hosce dictos musculos, et præterea gemellos, quadratum femoris, et obturatorem externum ramis dotat; 5—6 rami *cutanei posteriores* cutem præcipue in poste-

riori femoris parte ad fossam popliteam usque vivificant. Truncus ipse inter trochanterem majorem femoris et tuber ischii, tum inter musculum semimembranosum et bicipitem femoris, multa tela cellulosa obvolutus ad fossam popliteam usque decurrit, et hic *nervus popliteus* audit. Dividitur autem nunc in 2 ramos principales: *peroneum* et *tibialem*.

1. *Nervus peroneus* versus condylum externum femoris migrat, ad caput breve musculi bicipitis ramum mittit, uno vel duobus ramis tenuoribus cum nervo tibiali nectitur, et mox ad capitulum ossis peronei in ramum *superficialem* et *profundum* dispescitur.
   a) *ramus superficialis*, fascia solum surali tectus, in exteriori cruris parte ad malleolum externum usque decurrit, musculum peroneum longum et brevem, extensoremque hallucis longum ramulis vivificat; tandem pone malleolum externum versus dorsum pedis migrat et in *nervis digitalibus dorsalibus pedis* terminatur.
   b) *ramus profundus* inter musculum tibialem anticum et extensorem longum hallucis, arteriam tibialem anticam concomitans ad musculos adjacentes ramos mittit, et in dorso pedis cum ramo superficiali nectitur.
2. *Nervus tibialis* ramos *communicantes* ad nervum peroneum mittens, a musculo gastrocnemio tectus, inter flexorem longum hallucis et flexorem digitorum communem, arteriam tibialem posticam concomitans, ad maleolum internum descendit; in hoc suo decursu plures mittit ramos ad musculos ibi adjacentes; et ad malleolum internum bifurcatur in
   a) *ranum plantarem externum* et
   b) — — — — *internum*, qui in planta pedis in *nervis digitalibus plantaribus*, et *ramo profundo,*

arcum plantarem arteriosum concomitante, terminantur.

Structura autem nervorum spinalium est sequens; constant nempe:

1. ex *substantia* quadam *medullari*, parum vasis sanguiferis instructa, quæ tanquam medulla spinalis continuata est consideranda.
2. ex *neurilemmate*, et quidem *partiali*, singulum nervi filum, et *universali*, totum nervi truncum obvolvente. Illud neurilemma numerosissimis arteriis ac venis est implicitum, id quod Cel. *Langenbeck* (op. cit. IV. Bd. 2. Heft. S. 327.) injectione sua elegantissima nervi ischiadici accuratissime demonstravit. (Fig. III.)

Est igitur neurilemma illud conflatum ex tunica vasculosa, quæ autem in facie sua interna, nervum spectante ad tunicas serosas, in exteriori autem facie ad tunicas fibrosas accedit, et tanquam medium inter ambas tenens, pro menyngibus continuatis habenda.

Nervi ischiadici truncus præ cæteris laxissime illo neurilemmate obvolutus est.

Ambit tandem istud neurilemma textus cellularis atmosphæricus, qui illud partibus adjacentibus nectit.

Hisce nunc præmissis morbi descriptionem ipsam aggrediamur.

Decursus morbi.

Morbus iste, sive in nervo crurali, sive ischiadico resideat, et pro diversitate hac sedis modo *Ischias antica* (Neuritis, Neuralgia cruralis), modo *Ischias postica* (Neuritis, Neuralgia ischiadica) sit nuncupandus, 3 agnoscere videtur stadia.

1. *Inflammatorium acutum*,
2. *Exsudativum* et
3. *Chronicum* dicendum.

1. *Primo* in stadio, a Cel. *Richter* jam notato, sæpe autem ob mitiorem ejus decursum plane præterviso, validiori gradu sequentibus symptomatibus manifestatur: Percipiuntur in quadam regione nervi ischiadici vel cruralis, plerumque in nervi trunco derepente, vel præcedente nonnunquam vomituritione, cardialgia, nausea, et alvi obstructione, dolores pungentes ac scindentes, subcontinui, remittentes, et nisi rationali medendi methodo profligantur, pedetentim per totum nervi decursum sese extendentes (*Reydellet.*) Aegri tum dolores assignant ex pelvi prodeuntes; et quidem in ischiade postica per totum nervi ischiadici ac peronei decursum usque ad dorsum pedis descendentes; in ischiade antica autem in anteriori femoris parte, secundum nervi cruralis, imo et nervi sapheni decursum in interna cruris parte decurrentes. (*Haase, Barthez.*) Augentur hi dolores pressione digiti impositi, motuque extremitatis, nervum tendente; mitigantur tepore lecti modica. Nullus cæterum percipitur tumor aut rubor, raro solum calor evectus affectæ extremitatis, quæ nec longior nec brevior respectu alterius observatur (*Reydellet*). Motus extremitatis affectæ licet dolorificus, tamen concessus, abductio solum femoris fere impossibilis (*Sachs.*) Aegri plerumque adhuc obambulare et sua negotia peragere solent; appetitus viget, se- et excretiones adhuc normales procedunt; sub valido solum inflammationis gradu associatur febris activa inflammatoria, et ægri lecto decumbere coguntur. — Durat istud stadium aut per brevissimum solum temporis spatium, ita ut omnem observationem effugiat; vel repetitis vicibus decrescens iterumque recidivas celebrans tandem abit in:

2. *Stadium secundum*, quod Cel. *Langenbeck* primus observasse et assignasse videtur, et *exsudativum* est di-

cendum; hocce enim in stadio materia lymphatico-serosa, plus minusve limpida ac tenax, blandior vel acrior in cavum neurilemmatis nervi affecti secernitur; vel illa materia plastica intra substantiam ipsam medullæ vel neurilemmatis effusa tumores, incrassationes, indurationes, aliasque materiales harum partium mutationes inducit. Symptomata inflammationis activæ, in primo stadio observanda, nunc recedunt; dolor prius scindens ac pungens, nunc magis obtusus ac comprimens evadit, ad unum plerumque etiam tumentem locum concentratus; semperque perfectiores remissiones, intermissionibus affines, celebrans; nonnunquam solum intercurrentibus ictubus, quasi electricis, secundum totam nervi ramificationem decurrentibus stipatus, cum sensu myrmekismi ac stuporis in pede alternans. Dolor nunc pressione vix amplius augetur; motus autem extremitatis ob cito insequentem lessitudinem difficilior, quam primo in stadio, redditur. Febris nulla amplius adest; lentoque gressu subsequitur.

3. *Stadium tertium, chronicum* dicendum, cujus momentum primarium est: continuata secretio passiva humoris, jam in stadio secundo effusi, hujusce limpidi corruptio et acrimonia vellicans, ipsiusque nervi substantiae degeneratio (*Langenbeck*). Hocce in stadio plerumque ille morbus observationi oblatus fuit, et perinde a plurimis hocce solum stadium sub inscriptione Ischiadis nervosæ Cotunnii depingebatur; suntque ejus symptomata pathognomonica:

Dolor nunc percipitur modo comprimens, trahens ac obtusus, modo vehementissimus, convellens, ictus electrici instar totum nervi decursum permeans; intercurrunt nunc perfectissimæ intermissiones, modo longiores, modo breviores; vehementissimi tamen dolo-

rum insultus ad vesperas accedunt, ita ut æger in lecto vix detineri possit; augentur nunc dolores tepore lecti, omnique aëris atmosphærici repentina vicissitudine (*Richter*); pressione autem hi dolores non solum non augentur, sed potius ægri sæpius extremitatem manibus premunt, talique ratione dolores aliquanto sopiunt. Motus extremitatis vix amplius conceditur, partim ob subitaneum dolorum augmentum, partim ob insignem nunc extremitatis affectæ hebetudinem; et si ægri ad incessum coguntur, vacillantes incedunt et extremitas affecta quasi paralytica adparet (*Sachs*); imo longiori sub temporis tractu, ad 30 etiam annos extenso (*Cotunni*), revera paralytica contabescit (*Richter*); cæterum nec rubor, nec tumor, nec aliqua normalis longitudinis differentia observatur (*Reydellet*). — Hucusque quidem constitutio ægri universalis parum affecta deprehenditur; tandem autem æger fit debilior ac macilentus, nutritio totius corporis labefactatur, sudores profusi ingruunt, se- et excretiones fiunt perversæ, animus fit sensilis, memoria hebescit, stupor mentis ingruit, (*Sachs*), paralysis extremitatis ad vesicam urinariam et intestinum rectum extenditur (*Selle*); vires ægri ob defectum omnis quietis ac somni pedetentim exhauriuntur, febris hectica associatur et vel *depascentia lethalis* miseræ ægri vitæ finem ponit (*Hoven*); vel morboso processu ad medullam spinalem ulterius propagato et per consensum etiam nervo vago, in compassionem spasmodicam tracto *catarrhus suffocativus* (*Sachs*) scenam claudit.

Lustrationes cadaverum

Sectiones ischiade emortuorum fere toties nervum quoad sensus sanum demonstrarunt, quoties morbosam ejus affectionem præ se tulerunt, adeo ut magna adhuc incertitudo respectu hujus status pathologici ad diligentius prosequendas sectiones invitet (*Reydellet*).

Pauca quae inventa fuerant, sunt sequentia:

1. Nervus, ut *Cotunnius* ipse narrat, a coxa ad tibiam solito coloratior, cum omnes vaginæ flavescerent, crassiores solito: a fibulæ capite ad pedem imum albidior erat, lympha plenus, ita ut vaginæ repletæ a nervo insigniter distarent.
2. *Bayard* (The New York Jour. N. 31.) nervum adeo incrassatum vidit, ac tumentem, ut in medio femore ovi anserini formam referret.
3. *Rousset* (Langenbeck) invenit vaginas nervi ischiadici relaxatas, earumque venas varicosas, cæterum nulla inflammationis symptomata.
4. *Sachs* narrat: nervum ischiadicum in omni suo decursu, flaccidum, corrugatum, depauperatum vel emaciatum (welk, zusammengeschrumpft, verkümmert) vel etiam tumidum, emollitum (aufgelockert), ejusque vaginam aquis vel muco repletam fuisse inventam.
5. Constantissimum autem fere est, aquas sæpius tanta copia inter nervum et vaginam effusas esse inventas, ut istum statum morbosum jure nomine *Hydropis nervi* designare possimus. (Richter.)

Diagnosis.

Licet firma rationalisque diagnosis nunquam ex uno altcrove signo diagnostico, sed solummodo ex toto morbi decursu, ex anamnesi, ex causis excitantibus, ex corpore

constitutione ac dispositione etc. sit statuenda; tamen juvabit, ex copia symptomatum, quibus hic noster morbus junctus esse solet, illa, quæ ceu characteristica ischiadi conveniunt, ab reliquis accidentalibus secernere, et lectorem benevolum ad hæcce attentum reddere, quo promptius hunc morbum dijudicare, atque ab aliis analogis morborum formis dignoscere valeat.

Summe characteristicum morbi symptoma est *ipsa illius sedes*; nulla enim alia est affecta pars, nisi nervus ischiadicus vel cruralis; hinc dolores secundum unius, alteriusve nervi decursum percipiuntur adeo stricte et adcurate, ut æger, ac si anatomiæ sit peritissimus, digito monstret totius nervi decursum, ita ut nemo de morbi sede dubitare amplius possit.

Porro dolores exacerbantur *motu extremitatis illo* solum, quo nervus affectus tenditur; proinde dolebit in ischiade postica flexis femoris, extensio cruris ac pedis; e contra in ischiade antica maximi persentientur cruciatus sub extensione femoris, et flexione cruris.

Sunt hæc 2 symptomata, quæ Neuralgiam ischiadicam vel cruralem semper in omnibus ejus stadiis fideliter concomitantur.

Stadii autem in specie *primi* (inflammatorii) signa pathognomonica sunt:

Dolores punctorii, lancinantes, urentes, subcontinui, vesperi exacerbati, *pressione* digiti impositi adaugendi; *pulsus* arteriæ, præcipue cruralis, etsi non febriles, tamen aliquanto tensiores, fortes, accelerati; *urina* coloratior, per vices cum sedimento albo aut rosaceo. —

Secundum stadium (exsudativum) minus characteristice est distinctum, nisi *decremento* symptomatum inflammationis activæ; *remissionibus dolorum* magis lucu-

lentis; *doloribus* ipsis minus pungentibus, quam obtusis; sensu *myrmekismi* per vices redeunte, cum doloribus acutis alternante; quodque *pressio* digiti impositi parum doleat; nihilo minus *motus* extremitatis sæpius stupentis ob dolorum augmentum difficilior, et ob nervi influxum imminutum imbecillior reddatur.

Tertium stadium (chronicum) clarius iterum manifestatur: *Dolores* enim modo obtusi, modo ictus electrici instar extremitatem secundum nervi decursum permeantes, perfectas eelebrant intermissiones; verum tamen omni *motu* illico excitantur, et solummodo *pressione* in nervi truncum applicata sopiuntur; *influxus nervi* vel hydropici vel plane degenerati pedetentim tollitur, et proinde extremitas marcescit, atque hebescit, ita ut ægri tandem vix incedere possint, id quod etiam ob illico subsequens in nervo tenso dolorum augmentum fere impossibile redditur; consumit tandem ægrum semper *febris depascens, hectica,* vel *catarrhus suffocativus* vitæ finem imponit.

Analogiae et differentiae.

Vix quidem timendum, ne quis aliam morbi formam cum ischiade confundat; siquidem symptomata pathognomonica eam sufficienter a quocunque alio morbo distinguere valeant; interim ad plenam morbi descriptionem juvabit, aliquas ei analogas morborum formas, uti: *Coxalgiam*, *Psoitidem*, *Myelitidem lumbalem*, et *inflammationem* præcipue rheumaticam, *musculorum*, eorumque *velamentorum*, vel *fasciae latae* extremitatis inferioris discernere.

I. Summi hic momenti accurata ischiadis distinctio a *Coxalgia*, quæ plerumque cum illa confundebatur, sæpe unus idemque morbus habebatur, vel cui ischias qua species subsumebatur, vel sat ambigue ab illa discernebatur. *Cotunnius* primus fuit, qui, — ut ipsis Cotunnii verbis utar: — „*Duas summas ischiadis species distinxit: alteram in qua dolor, fixus in coxa, ulterius non excurrit; alteram vero, in qua subjectum laesae coxae pedem continuo tractu propagatus attingit.*" Tum primum plures exstiterunt medici, ischiadem (proprie sic vocandam,) discernentes a Coxalgia, quæ longe alius est naturæ, aliasque afflictat partes.

Differentiæ, præcipue e scriptis *Cel. Rust, Volpi, Dreyssig, Cheluis, Reisich, Propper* &ct. depromtæ, sunt sequentes:

A. *In ischiade postica:*

1. hæc in *stadio suo primo, inflammatorio,* magnam quidem habet analogiam cum primo coxalgiæ stadio, quod a Cel. Rust *stadium prodromorum* nuncupatur; percipiuntur enim in hocce primo coxalgiæ stadio dolores pungentes, sæpius ad genu usque protensi, pressione regionis pone trochanterem majorem adaugendi; nonnunquam observantur exacerbationes febriles vespertinae; difficilior ac dolorificus redditur extremitatis affectæ motus, singularisque ejus delassatio ac rigiditas persentitur. — Sequentibus autem coxalgia differt ab ischiade: quod ille dolor in coxalgia quoque pressione ad internum latus arteriæ femoralis e pelvi prodeuntis, hinc in regione, ubi musculus pectineus anteriorem articulationis faciem tegit, applicata exacerbetur, quod non fit in ischiade postica; dolores illi pungentes, dolori fixo in acetabulo intercurrentes, ictus electrici instar extremitatem permeantes, non

adeo servant accuratum nervi ischiadici decursum, sed potius secundum musculum vastum internum ad poplitem, et secundum internam tibiæ faciem ad malleolum usque internum decurrunt (*Volpi*). Rigiditas et delassatio pedis, quæ ab ægris, coxalgia laborantibus, horis matutinis lectum deserentibus, persentitur, per diem motu continuato imminuitur, imo et evanescit; in ischiade potius contrarium observatur; — nonnunquam hoc jam in stadio coxalgici extremitatem aliquanto tenuiorem ac prolongatam, extus intusve rotatam aegre trahunt, claudicantes incedunt, quod symptoma in ischiade deficit. — Prehendit tandem coxalgia plerumque infantes, rarius adultos; ischias adultiori ætati potius propria pueris parcit. —

2. Adhuc magis coxalgia in *altero* suo *stadio*, quod a Cel. Rust stadium *subluxationis* vel *prolongationis* dicitur ab ischiade discrepat, sunt enim ejus signa characteristica sequentia: Tota extremitas sæpius ultra 3 pollices prolongata, natesque complanatae; extremitatis affectae pes multum extus est rotatus, et ideo trochanter hujusce femoris magis infra et extus positus; genu adeo flexum, ut æger solum digitis pedis insistere valeat; dolor ille tensivus in genu hocce in stadio vel multum augetur, vel nisi prius adfuerit, nunc excitatur vehementissimus, sæpe intensitate majori insignis ac illo in coxa ipsa existente; tamen vero non pressione immediata ad genu, sed pressione versus acetabulum tentata exacerbatur. Hæc omnia symptomata in ischiade nunquam obveniunt, dolorque hic semper accurate ad nervi ischiadici decursum est restrictus.

3. Licet coxalgia in *ultimis* suis *duobus stadiis*, quorum alterum *exarticulationis*, alterum *ulcerosum* a Cel. Rust denominatur, aliquam habeat similitudinem cum

tertio ischiadis stadio, (chronico nempe dicendo), quia in utriusque morbi forma dolor imprimis in genu percipitur; macies extremitatis, motus ejus impossibilitas et claudicatio, insignis exhaustio virium summum nunc attingit gradum, febrisque hectica tandem ægrum in fine semper consumit: tamen, doloris accurata directio secundum nervi ischiadici decursum, nullaque extremitatis rotatio vel abbreviatio in ischiade observata; altera autem ex parte caput femoris ex acetabulo protrusum; trochanteris situs mutatus, pedis rotatio ac elongatio, tandem autem abbreviatio, purisque ex abscessu acetabuli effusio, cum secessu ossium, carie destructorum conjuncta, sat multa et characteristica præbent symptomata distinctiva.

B. Nil ideo amplius restat, quam ut coxalgiam quoque ab *ischiade antica* discernamus; pauca solum hic monenda habeo, cum eædem fere analogiæ ac eadem discrimina obveniant, ac in ischiade postica; morbi natura enim plane eadem, solum sede diversi:

Dolor in ischiade antica magis in anteriori et interna extremitatis parte persensus, pressione ad regionem arteriæ cruralis ex pelvi prodeuntis tentata, adauctus, multum coxalgiam adæquare potest, cum fere idem in hocce morbo occurrat; sed hic dolor in ischiade antica ob accuratum suum, secundum nervi cruralis et sapheni ramificationem, decursum sat characteristicus est; præterea pressio versus posteriorem acetabuli faciem in regione incisuræ ischiadicæ tentata, nunquam dolorem in ischiade antica augebit, cum in coxalgia illico vehementissimi cruciatus exoriantur. Reliqua, cum in omnibus stadiis sint eadem, quæ supra, coxalgiam cum ischiade postica comparans attuli, jure nunc silentio prætereunda putavi, ne error vanæ repetitionis mihi opprobrio vertatur. —

Hæc solum adhuc notanda veniunt, quod nonnunquam, præcipue sub altiori ischiadis gradu, per consensum ligamentum capsulare capitis femoris, et inde os ipsum quoque inflammatione corripi possit, et vice versa; proinde utriusque morbi formæ cum suis symptomatibus simul observationi præbeantur.

II. Quod *Psoitidem* attinet, vix phlegmonosa musculi ipsius inflammatio cum ischiadis stadio primo inflammatorio, sub quo solum aliqua obvenit analogia, confundi poterit ob eminentes in regione lumbali affectiones; facilius jam inflammatio velamentorum musculi psoadis rheumatica ob minorem symptomatum vehementiam et vagam eorum sedem ischiadem simulabit; licet autem in psoitide motus cruris alterutrius sit impeditus, torpor et formicatio in crure cum dolore tensivo, subinde lancinante in regione inguinis, ad genu sæpe usque protenso, alternans percipiatur; febrisque validior aut mitior superveniat; tamen permulta adhuc restant symptomata, quæ distinctionem sublevant, hæcque sunt: immanes cruciatus sub conamine femur elevandi, attrahendi, vel extrorsum rotandi; sensatio caloris et æstus interni; interdum dysuria vel ischuria ob sphincterem vesicæ spasmodice clausum; atrocissimi ad lumbos tumentes dolores, levissima pressione ad regionem renum tentata exasperandi, quæ symptomata in ischiade plane desunt; servant præterea ægri lumbagine affecti situm magis incurvatum, sub quo musculus psoas relaxatus quiescit; ischialgici autem e contra lubenter extremitatem extensam habent, ne doleat nervus ischiadicus tensus; nunquam tandem servant dolores in lumbagine illum accuratum et proinde characteristicum, ischiadi proprium, secundum ramificationem nervi ischiadici vel cruralis decursum, sed vage super fasciam latam extensi decurrunt, saepius secundum columnam vertebralem ad scapulas usque as-

cendunt, vel diaphragma petunt (*Raimann, Dreyssig, Schmalz, Propper.*)

III. *Myelitis lumbalis* nonnunquam quoque habet aliquam cum ischiade analogiam; observantur enim, si medullae spinalis extrema pars lumbalis inflammationis focum sistit, inferiorum extremitatum torpor, paralysis, vel convulsiones, aliaeque dolorificae sensationes cum vel absque febri ingruentes; si autem involuntarium alvi urinaeque secessum, vel eorumdem retentionem, subinde satyriasim accedentem, profundum lumborum dolorem, pressione ad columnam vertebralem adplicata exasperandum; affectionem plerumque nervi ischiadici et cruralis simul, utriusque femoris, eorumque potius imbecillitatem, aliaque myelitidi lumbali solum convenientia symptomata, decursum totius morbi, ejusque causam respiciamus, notabilis utriusque morbi differentia cognoscitur (*Barthez.*)

IV. Differt porro ischias ab *inflammatione,* praecipue rheumatica, *musculorum, eorumque velamentorum vel fasciae latae* extremitatis inferioris, quacum magnam quidem habet affinitatem, nonnunquam etiam cum illa complicata, incedit, sequentibus symptomatibus: In myositide et inflammatione velamentosa dolor non adeo servat directionem linearem secundum nervorum decursum, uti in ischiade, sed in omni saepe extremitatis circumferentia, vel latius tamen diffusus percipitur, prouti nempe unus pluresve musculi, majus minusve velamentorum spatium inflammatione est detentum. Dolet in hacce inflamationis specie praecipue ille solum motus activus, quem perficiunt musculi affecti ipsi, aut ubi velamenta inflammata tensionem experiuntur; idem motus passivus in istis musculis vix ullum excitat dolorem; in ischiade vero ille reformidatur motus, sub quo nervus affectus tenditur,

sive sit activus, sive passivus; observatur praeterea in myositide tetanica fere musculorum vicinorum rigiditas; eximius calor externe jam perceptibilis; saepius sat intensus extremitatis rubor ac tumor, quod nunquam in ischiade observare licet. Sedes inflammationis, praecipue rheumaticae in musculis, eorumque velamentis non adeo fixa, saepissime migrat ad partes longe etiam distantes, iterumque redit ac evanescit; rarissime autem in ischiade morbi sedes mutata observabatur, pertinax eidem semper nervo, ejusque vaginae inhaeret (*Raimann.*)

Nosogenia et Aetiologia.

Supremus medici rationalis scopus positus in disquisitione et accurata cognitione naturae ac causae morbi, tum proximae tum remotioris; omnia enim inde veniunt explicanda symptomata morbosa, elucescit inde omnis futura prognosis, definitur inde omnis medicaminum selectus. Quam difficile autem sit naturam in suo processu biochemico, oculis adeo abscondito, observatu, quisque facile intelliget, et eo facilius veniam dabit, si in explicanda hac re abstrusa, adeo parum adhuc culta peccaverim.

Propria ad hunc morbum disponens corporis constitutio nulla quidem datur; singularis solum vitae conditio, qua coactus homo extremitatem inferiorem aut dynamico aut mechanico influxui exponit, proclivitatem quamdam hacce in extremitate producere potest, ut quolibet momento externo morbifico, haecce pars prae aliis facilius corripiatur, uti observare licet in laniatoribus, venatoribus, piscatoribus, nuntiis, cursoribus, militibus, insolatoribus, etct. Nonulli, uti *van der Haar*, *Dylius*, *Propper* etc. ischiadem saepius sinistrum, ac dex-

trum latus tenere observarunt. Qua ratione autem fiat, ut ista in extremitate facilius nervus, ejusque neurilemma, quam reliquae adjacentes partes, ut musculi, eorumque velamenta etc. afficiantur, plane inexplicabile est, nisi singularis sensilitas ultra normam evecta, in systemate nervoso, praecipue spinali, sexu, aetate, vivendi ratione, idiopathice vel sympathice producta; aut praegressae in systemate nervoso latentes morborum formae, per influxum psychicum, onaniam etc. positae, (*Sachs*), adeo eminentem inducant dispositionem, ut prae omnibus aliis partibus afficiantur nervorum trunci ipsi. Docet *Cel. Klein*: „Ischias hypochondriacis, haemorrhoi-„dariis, scorbuticis familiaris est;" quibus adnumerat adhuc *Cel. Sachs* temperamento cholerico-sanguineo donatos, nimia sensibilitate praeditos, praecipue si sanguinis abundantia, et aetas provectior concurrat. — Notat autem e contra *Reydellet*, quod ischias prehendat omnem sexum, praesertim tamen viros ac senes, rarius juvenes, nunquam fere infantes; temperamenti influxus sit vix notabilis etc.

Quod causas excitantes ipsas, et quidem remotiores attinet, innumerae sunt habendae. — Enumerantur enim a *Cel. Richter* mechanicae laesiones, coxae illatae; onerum gestatio; haemorrhagiarum suppressio; metastasis lactis; materia rheumatica; lues venerea, — (haec autem videtur potius coxalgiae causa fuisse); — cito sanata ulcera vetustiora etc. — Adnumerantur hisce ab *Cel. Langenbeck* suppressae chronicae efflorescentiae cutaneae, et arthritis vaga. — Porro a dysenteria intempestive suppresa quandoque dolorem ischiadicum ortum fuisse docet *Van Swieten*. — Tanquam frequentissima autem causa habetur refrigerium, licet *Cel. Sachs* opinetur, rarius ischiadem ex rheumatismo et arthritide esse derivandam; habitationes humido-frigidae, venationes in aquis, corpus influxui pluviae ac venti frigi-

di expositum, vicissitudo aëris frigidi et calidi, et ut Cel. *Sachs* ipse adfert: stragula humidiora, calor humidus in genere, dormitio in terra frigida ac humida corpore exaestuato etc., in genere omnia momenta rheumatismum provocantia, saepissime causa ischiadis habenda; proinde etiam tempore vernali ac autumnali morbus frequentior; vel tamen hocce anni tempore teterrime saevit; et lotricibus, agricultoribus, pastoribus, piscatoribus etc. (*Sachs*) familiaris. Omnes hae prolatae causae autem nil nisi inflammationes producere valent, estque ideo ex asserto *Cel. Sachs* status quidam inflammatorius nervi ipsius, vel ejus neurilemmatis, aut utriusque simul causa proxima morbi hujusce habendus; quod demonstrant tum morbi terminationes in exsudationem, crassitiem aliamve organicam degenerationem, tum cadaverum lustrationes, tum therapia antiphlogistica, primo in stadio singulari cum effectu adhibita; ex hacce morbi natura omnis morbi decursus facile explicandus; liceat ideo hancce accuratius considerare.

Multum de natura morbi istius ab viris haud parvi ingenii disputatum fuit; sic *Boërhave, Tissot, Stark, Cullen, Lentin* etc. rheumatismum et arthritidem solam, aliamve specificam acrimoniam causam morbi habuere. *Cel. Hofmann* illum morbum explicat qua spasmum, (motum irregulurem), sedem in ossibus ischii (!) habentem. *Cel. Stahl* (theoria medica Pars III. Sect II.) rheumatismum, inflammationem et dolores qua membra congestionis sanguineae, haemorrhagicae assumit; huic altera morborum classis, motus nempe in corpore, praeter naturam affecti associantur, et hisce spasmi subsumuntur; malum tandem ischiadicum specificis congestionibus, affectionibus spasticis affinibus adnumeratur; et hinc dicit *Cel. Stahl* de ischiade, quod sit: „apparatus „spasticus contentionum ad haemorrhoidales eruptiones.“

Quam longe autem hae sententiae a veritate discedant, in futuris clarius fiet.

Etsi omni ex parte vix sit credenda *Cotunnii* sententia, secundum quam, ut ipsis ejus verbis utar: „a-„cris lympha ex cavo, quod inter medullam spinalem „imo et cerebrum duramque matrem obvenit, depluens „in laxam nervi ischiadici praecipue vaginam, hanc di-„strahit, et inclusa nervosa filamenta inde comprimun-„tur;" tamen omni veritate non caret. — Veritati magis accedere, hodiernæque pathologiæ magis respondere mihi videtur sententia sequens: Causa morbifica, aut immediate in nervum ischiadicum vel cruralem, mechanica, chemica vel dynamica ratione agens; aut processum quemdam morbosum in quadam parte, hocce momento cum nervo crurali vel ischiadico in consensu versante, supprimens, et in isto uno alterove nervo ejusque vagina analogum provocans processum morbosum, dictos nervos irritat; reactio vitalis necessario huc exsurgere debet; et quo actio inimica vehementior fuerit, et illa reactio validior ad inflammationem usque increscere, ac symptomatibus primi ischiadis stadii, nempe *inflammatorii* morbus se manifestare debet.

Hæc inflammatio ob singularem nunc neurilemmatis structuram lubentissime in exsudationem vergit; præcipue si morbus ex suppressa quadam se- vel excretione normali vel pathologica ortus fuerit; neurilemma enim tanquam medium inter tunicas serosas ac fibrosas tenens, vasis ideo lymphaticis exhalantibus abundans, vegetativæ sphæræ appertinens, jam in statu normali subtiliorem exhalat vaporem, quem invenit *Morgagni* etiam in subjectis, nunquam ischiade affectis, minori tamen semper copia accumulatum, (*Barthez*), (analogum illi in ventriculis cerebri et inter ejus menynges contento,) qui eo copiosior in laxa nervi ischiadici vagina secernitur; quod-

si itaque inflammatio, status quidam evectæ activitatis initio statim non solvitur, necessario hæc activitas evecta, in recti capillari sedem habens, copiosius suum normale adhuc productum, halitum nempe serosum, secernere eo potius debet, si secretio quædam normalis vel anomala in quadam corporis parte, — plerumque sudor cutaneus, — suppressa fuerit; et licet materialis explicandi methodus non omnem abripiat palmam, et dynamica expositio in vitali antagonismo fundata, supplere debeat, quod priori deficit; tamen non negandum, naturam materiæ, cujus secretio in loco normali vel consueto suppressa fuerat, summum habere influxum in biochemicam mixtionem secreti, inter nervi vaginam effusi, et in specificam systematis capillaris activitatem, quod sat sæpius demonstravit therapia, cum modo antarthritica, modo antipsorica, modo antisyphilitica, modo diaphoretica etc. pro varia morbi causa, ejusque natura proficua fuerint, et secretum educendo sanationem induxerint plenariam. Status ideo secretionis adauctæ, status evectæ activitatis in systemate vasorum exhalantium, — activitate vasorum resorbentium adhuc normali existente, — status ergo *veri hydropis acuti* in nervi vagina, proprie essentiam stadii secundi exsudativi constituit.

Stadium tandem tertium, chronicum, minus apte nervosum dicendum, proprie consistit in eo, quod status antea inflammatorius, hypersthenicus in illum asthe-niae transivit, unde symptomata nunc multa, praegressis plane opposita erunt explicanda; non quidem deficit omnis partium affectarum activitas, ast illarum energia nunc exhausta; vasa, partim per activitatem praegressam nimis incitatam debilitata, partim per majorem tum sanguinis, tum seri exhalati accumulationem, nimis distensa, et vitali ideo contractilitate privata, non amplius nor-

males exserere possunt functiones; humorum affluxu vasa minora sat energicum renisum amplius opponere non valent; accumulatam nunc humorum copiam venulae, eodem debilitatis gradu laborantes, adeo cito resorbendo et in circulum sanguinis reducendo pariter non pares evadunt; stagnant ideo advecta, vasa semper magis distendunt, et ex vasis exhalantibus fere paralyticis libere effluunt.

Non autem credendum, ac si hac solum mechanica ratione fiat effusio ista pathologica in nervi vagina; non enim, ut prius jam memoravi, plane omnis activitas jam exstincta, sed in normali sua energia imminuta et qualitative immutata: quapropter hoc effusum heterogeneam nanciscitur naturam, imo et acrem; — acre enim simul ischiadi subesse, docent observationes permultorum, ipsiusque *Cotunnii* secundum quem serum, post applicatum vesicans ex vesica rupta vel scissa per crus depluens, latissime excoriavit omnia cruris loca, quae attigit; fitque hoc serum semper tenacius, tandemque mucosissimum; partes adhuc sensibiles haec materia peregrino suo stimulo vellicat, imo et chemice arrodit; necessario proinde tum chemica, tum mechanica, tum dynamica ratione inducitur alienata nervi affecti metamorphosis, immutatis ejus structurae normalis, ut crassities, induratio, emollitio, depauperatio, atrophia, imo et plenaria ejus destructio in massam difformem, insensilem, organisationis criteriis carentem; nervus tandem non amplius vivificat partes correspondentes; insensiles et paralyticas illas relinquit; proinde fit, ut post longiores imo et per annos durantes cruciatus crus et femur marcescat, contabescat et paralyticum evadat; vel hæcce nervi morbosa affectio ulterius proserpendo, altius ad medullam spinalem ascendens, vel per consensum altioris sphaeræ nervos, systematis nempe cerebralis, uti ner-

vum vagum afficiens, mentis animique hebetudinem, mortemque tandem suffocativam inducat.

Est ideo essentia hujus tertii stadii chronici: *biochemica immutatio formae organicae* nervi ischiadici vel cruralis, ejusque tandem destructio.

Prognosis.

Prognosis, quæ nil nisi in futurum continuata est diagnosis, facile ex morbi totius decursu elucescit; et ideo in genere semper prædicandum, ischiadem esse morbum difficilem sanatu, saltem per longius temporis spatium aegrum vexantem; tamen secundum ejus diversa stadia, ægri constitutionem, causam morbi, ejusque gradum, sedem etc. modo benigniorem, modo infaustiorem sperandum esse eventum. —

Si igitur *stadia morbi* respiciamus:

Primo in stadio, nempe inflammatorio, sub quo dynamica solum virium vitalium exaltatio, nulla adhuc organica partium immutatio observatur, si gradus inflammationis non sit nimis altus, nec justo diutius duraverit, aut therapia rationalis statim initio in auxilium fuerit vocata, faustissima erit statuenda prognosis; æger absque omni malo posthumo brevi sanitatem integerrimam recuperabit; quo diutius autem morbus, etsi hocce adhuc in stadio existens, sibi ipsi relictus, vehementiorem jam adeptus est inflammationis gradum, causa primaria excitans agere non cessavit, vel ejus actio plane non est amovenda, e. g. aëris atmosphaerici major vicissitudo, vere ac autumno regnans; eo infaustior habenda est prognosis; difficillime enim inflammatio ex integro solvitur, et transitus ille ominosus in exsudationem vix amovendus; saepius quoque haec inflammatio latius ex-

tenditur ad organa etiam vicina, imo et articulationem ischii, indeque funestissima complicatio cum coxalgia exoriri potest.

Multo jam infaustior prognosis altero in stadio; multo difficilius enim tollitur illa dysharmonia inter functiones systematis vasorum exhalantium et resorbentium, quam systematis vasorum sanguiferorum; licet hocce cum illo sit intime junctum, tamen illud hac ratione isolatum est, ut difficile remediis directe afficiatur, potiusque antagonistica ratione in illud agere liceat; nervus altera ex parte affectus adeo profundum habet situm, ut remediis externis nisi vehementioribus non adeo facile eumdem aggredi possis; tandem in genere minus facile tolluntur materiales organorum mutationes, quam dynamicæ earum affectiones; hæque difficultates eo majorem attingunt valorem, si exsudationes illæ inter nervi vaginas in dyscrasica quadam humorum degeneratione, vel metastasi fontem agnoscunt. Luculenter inde patet, huncce morbum in altero suo stadio eo faustiorem admittere prognosin, quo propius accedat primo stadio, quo magis adhuc praevaleat status activus; eo funestiorem autem statuendam esse prognosin, quo magis vergat ischias tertium in stadium, quo magis status asthenicus prævalere incipiat.

Tertio tandem in stadio chronico, quo partes asthenicæ continuata humorum passiva effussione distensæ, paralyticae tandem evadunt; humores ipsi effusi ac stagnantes corrumpuntur, partes reliquas adhuc vivas irritant, velicant, simulque chemice afficiunt; et proinde per omnia haec momenta simul sumta, tum neurilemma, tum nervus ipse, imo et partes vicinae organicam degenerationem et destructionem experiuntur; sub hisce rerum circumstantiis, eo magis si ætas provecta, constitutio

corporis tenerior, laxa ac debilitata, dyscrasiæ in organismo latentes etc. concurrunt, infaustissimus semper eventus, plerumque lethalis, felicissimo in casu marcor ac paralysis plenaria extremitatis affectæ, erit timenda; saltem longissime durabit morbus, imo ad 30 annos (*Cotunnius*) protractus.

Quod *sedem* morbi attinet, varia est prognosis, prouti nervus vel ischiadicus, vel cruralis, eorumque pars vel superior vel inferior est affecta.

Monet enim *Cotunnius*, quod ischias nervosa postica morbus sit longe frequentior ac pejor; antica longe rarior, minusque molestus.

Asserit porro *Van Swieten*: „postica ergo ischias, „quæ antica longe frequentior est, majorem curæ diffi„cultatem habet.“

Generalem dat *Hippocrates* prognosin: „quod si „morbus hic lumbos relinquens, aliquibus ad infernas „partes vertatur, eos confidentes esse jube. Quibus„cunque vero, coxas et lumbos non relinquens, ad su„pernas partes convertitur, malum id prædicandum est.“

Quoad *aetatem* ac *temperamentum* hæc notanda, quæ dicit *Klein*: „in cholerico-sanguineis ischias contumax in „extenuationem et coxendicis ariduram pluries abit;“ et inferius: „coxæ dolor in senibus ad annum perseve„rat, in junioribus diebus 40 plerumque finitur;“ — porro profert *Klein* sententiam *Celsi* in excerpto: „si in „ischiade ingens torpor subest, cum partium frigiditate, „alvo obstipata, pene pendulo, atque annus 40. jam „præteriit, longissimus erit morbus.“

Secundum varias adhuc alias circumstantias varia est statuenda prognosis:

Asserit nempe *Klein*: „ischias, si sine torpore est, „si leviter friget, quamvis magni sint dolores, tamen „et facile et mature sanatur;“ et inferius: „ischiatici,

„quibus ulcera crurum manentia superveniunt, liberan-„tur.“

Hæmorrhoides fluentes, ischiadi supervenientes, faustam nonnunquam hujus morbi sanationem induxisse docet præ aliis exemplum, quod narrat *Cotunnius*, secundum quem senex per 30 jam annos ischiade vexatus, magna sanguinis per vasa hæmorrhoidalia excretione adeo reconvaluit, tantaque mansit in crure affecto motus facultas, ut baculo innixus satis commode incederet.

Experientia tamen recentiorum temporum docuit, uti invenimus apud *Reydellet*, huncce morbum sæpe omne artis medicæ conamen superare, et semel sanatum tamen facillime recidivas experiri, post longissimum etiam temporis spatium; et plerumque aliquam extremitatis lassitudinem relinquere; nec raro occurrit, nervo uno affecto, et alterum lateris sani sympathico modo eodem corripi morbo; summa cum pertinacitate inhærere uni eidemque nervo, et ideo non tam facile metastaticas morbi transmigrationes esse timendas, licet proferat *Klein*: „dolor ischiadicus et surditas mutuas „habent vicissitudines.“

Patet ideo ex omnibus hucusque dictis, et experientia multifaria probatis, ischiadem, sive anticam, sive posticam initio esse facilius debellandam, et quo diutius duraverit, eo perniciosiorem, et omni curationi magis renitentem evadere, postremo tandem omnem medelam fieri impossibilem.

Therapia.

Quævis rationalis medendi methodus nec vanis ac hypotheticis solum principiis sit superstructa, eo minus rudiorem tantum empiriam sequatur; teste enim expe-

rientia vetustissima utraque medendi methodus sola, alteram plane negligens, ac aspernans, longe plus damni attulit, quam ægrotantibus sanitatem reddidit; necessario ambae simul vicissim se determinantes ac supplentes solum quidpiam salutiferi afferre valent; dantur tamen quædam principia generalia, tam ratione, quam experientia summe approbata, quæ quisque medicorum sedulo prosequatur oportet, sequentia nimirum:

1. Momenta causalia morbi, tum prædisponentia, tum occasionalia sunt amovenda, vel si amoveri nequeant, in efficacia sua pro viribus debilitanda, vel si jam præterlapsa sint, omnis eorum recens influxus inimicus arcendus.
2. Natura morbi, ejusque stadia, ægrotantis ætas, temperamentum etc. respicienda, et secundum eorum characterem tractamen instituendum.
3. Symptomatibus molestissimis et periculosis succurrendum remediis palliativis, nequaquam autem primariae medendi rationi, naturæ morbi respondenti, oppositis.
4. Morbo tandem ablato, in stadio jam reconvalescentiæ, vires sublevandae, recidivae praecavendae, pronitasque in illas tollenda.

Hisce principiis ductus 4 sequentes indicationes generales statuendas esse puto, nempe:

1. *Indicationem causalem.* — 2. *Indicationem vitalem.* 3. *Indicationem symptomaticam* et 4. *Indicationem prophylacticam.*

I.

Indicatio causalis.

Facile intelligitur, quod hæcce indicatio pro variis ac variis morbi causis jam recensitis diverso modo adimpleri debeat.

Quod *momenta praedisponentia*, cum vix certa quædam nota sint, in genere solum notandum, ut aeger nunc et in posterum arceatur ab omni officio, sub quo peragendo extremitas affecta multum intenditur, variisque nocivis influxibus, e. g. refrigerio in aquis sub piscatione, venatione etc. exponitur; si peculiaris animi mobilitas, nervositas evecta quamdam dispositionem ad huncce morbum ponit, studendum, ut aegri mens tranquilla, hilaris, curis expers sit, et s. p.

Quod *momenta occasionalia* attinet, si adhuc agunt, pro diversa sua natura amovenda, uti:

a) si *mechanicae laesiones* in causa fuere; hae secundum leges chirurgicas tractandae;

b) si *haemorrhagiarum suppressio*; earum fluxus restituendus, vel sanguinis vicaria evacuatio, e. g. per phlebotomiam instituenda.

c) si *metastasis lactea*; secretio lactis in uberibus omni studio restituenda ac promovenda.

d) si *ulcera chronica cito ac intempestive sanata*; aut eodem in loco, aut si id ob locum quem occupaverant nobiliorem non liceret, alio in loco, optime ad crura, ulcera artificialia — fonticuli — producenda.

e) si *venerea materia*; probe methodus antisyphilitica instituenda.

f) si *efflorescentiae cutaneae chronicae* suppressæ; hæcce ad superficiem cutis revocandæ, imo extremo in casu infectione communicandæ, et tum secundum rationales therapiæ leges remediis accomodatis tractandae.

g) si *arthritis vaga*; remedia antarthritica in auxilium vocanda.

h) si tandem *rheumatismus*; perspiratio cutis suppressa methodo diaphoretica ac diluente libera reddenda ac sedulo promovenda.

* *

Vix opus erit admonere, ut medicus in selectu remediorum contra morbi causam respiciat morbi stadia; proinde in ischiadis stadio inflammatorio illa ex classe antiphlogisticorum in auxilium vocet, in altero et tertio demum stadio excitantia, circuitum sanguinis accelerantia.

Simul cum hacce directa medendi methodo jungendum concinnum regimen diæteticum, quod etiam primarium fere occupat locum, si causa primaria jam evanida, vel adhuc præsens omni ex parte amoveri non possit, uti anni tempus vernale et autumnale, nebulis, pluviis ac procellis abundans; — omne enim tum medici conamen eo dirigendum erit, ut hæc momenta, quæ aut novo morbo ansam præbere, aut præsentis morbi gradum intendere possent, solerter detineantur, aut activitatis eorum intensitas, quantum fieri potest imminuatur ac infringatur.

Juvat huncce in scopum quies tum psychica tum somatica : caveat æger ideo ab omnibus pathematibus excitantibus, systema irritabile ad justo majorem activitatem stimulantibus, ne status inflammatorius topicus evadat universalis, et febrim producat deleteriam. —

Quoad somaticum regimen detineatur æger in cubili aëre puro, sicco, moderate calido, (ad **15** — **16**° R.) repleto; servet situm quietum horizontalem in lecto, stragulis levioribus tectus; — utatur nutrimentis facile digestibilibus, uti: jusculis carnosis, pane albo, carne vitulina, agnina, pullina, columbina; subinde vegetabilibus olleraceis, pomis coctis, et similibus, moderata autem quantitate assumtis; — sitim fallat potulentis blandioribus, diluentibus, minime excitantibus, leniter diaphoresin promoventibus, uti sunt: decocta, symphyti, verbasci, glyzirrhizæ etc. quam cautissime autem vitet

omne refrigerium ex vento perflante frigidiusculo admisso, omnemque vehementiorem extremitatis affectæ motum.

II.

Indicatio vitalis.

Probe hic morbi stadia distinguenda, varia enim instituenda medendi methodus vigente neuritide, vel facta exsudatione vel organicis jam nervi ejusque vaginæ mutationibus.

A.

Cura stadii inflammatorii.

Cum morbus hocce in stadio non sit, nisi nervi ejusque vaginæ inflammatio, cujus essentia, sive sit rheumaticæ, sive arthriticæ, traumaticæ aliusve naturæ, semper in majori exorbitantia virium vitalium in systemate irritabili, tanquam factore reagente, in majori affluxu sanguinis, majori plasticitate gaudentis, in organo affecto consistat; nulla alia, quam methodus antiphlogistica principalem locum meretur. Vires ideo vitales partim directo modo per *sanguinis evacuationes* deprimendæ, partim antagonistice per remedia *derivantia, eccoprotica* ac *diaphoretica* liberae reddendæ. — Sic enim *Boërhave*: „curatur rheumatismus (cui ischiadem subjungit,) „missione sanguinis, purgatione antiphlogistica repetita, „balneo leni tepido etc.“

1. *Sanguinis evacuationes universales* autem, licet teste experientia omnis ævi, uti: *Aeginetae*, *Galeni*, *Celsi*, *Sydenham*, *Richter*, *Langenbeck* etc. summam habuerint efficaciam, tamen non adeo temere sunt insti-

tuendæ, ut medicus *Montpelliensis* (Observations interessantes sur la cure etc.) adfert, qui intra 36 horarum spatium ex vena in brachio et pede simul aperta educebat plus, quam 20 sanguinis libras. Caute potius mercandum cum phlebotomia, quam ischias, præcipue si rheumaticæ vel arthriticæ est originis, minus bene fert, quam si læsionem quamdam traumaticam vel congestionem sanguineam pro causa agnoscit; imo nimis temera ac immodica sanguinis missione status hypersthenicus facillime in illum astheniae traducitur, et terminatio funesta in exsudationem ac desorganisationem acceleratur. — Si autem systema irritabile processu febrili validiori detentum, crasis sanguinis phlogistica universalis, inflammatio topica sat altum adepta est gradum, individuum ægrotans robustum, succiplenum plethoricum; tum summa urget necessitas venam secandi. Nec medicus debilitate, tunc semper spuria, detineatur a potentissimo hoc remedio, quo ischias nonnunquam, uti narrat *Galenus*, una jam die sanata reperitur; praecipue si vena secundum *Barthez* consultum in extremitate dolente ipsa secatur.

2. Plerumque autem indicata est sub locali affectione inflammatoria solum *depletio sanguinis topica*, vel per hirudines vel cucurbitas incisorias instituta; immediate enim ex organo affecto sanguis accumulatus ad externa devehitur et inde eliminatur; processus phlogisticus, materia tanquam nutriente detracta, infringitur; — simulque sanguinis detractio topica, præcipue per scarificatorium peracta, dynamica hac ratione agit, quod irritatione per illud producta, et ideo activitate vitali in cuti exaltata, necessario ex lege antagonismi processus vitalis in organis remotioribus, propius tamen cuti adjacentibus, minus rapide absolvitur; patet exinde summum illud emolumentum, quod

topicæ sanguinis depletiones, indicatione rite statuta, præstare valent, et exinde explicandum, qua ratione *Cel. Hartmann* (in Huf. Journ. 47. Bd.) sola applicatione cucurbitarum sæpius ischiadem ex asse sanare potuerat. — Notari autem hic meretur, hirudines vel cucurbitulas tanto semper numero esse apponendas, ut sanguinis fluxus sufficienter largus sit, ne irritatio per illas producta praevaleat, et irritamenti ad instar potius agat; requiritur proinde, ut in homine adulto secundum nervi decursum apponantur cucurbitulæ cum incisione, saltem Nro. XVI, vel hirudines Nro. XX. — Pro re nata quavis sub exasperatione, repetita vice eodem imo et majori numero applicentur, donec symptomata inflammationis vehementioris evanuerint.

3. Præter hæc duo potentissima remedia, methodo antiphlogisticæ rigorosiori appertinentia, non negligenda et illa, quæ *methodo antiphlogistica mitiori* comprehenduntur, et quæ præter virtutem leniter antiphlogisticam ac refrigerantem simul massam humorum diluunt, alvumque leniter ducunt; ejusmodi sunt:
   a) *Salina eccoprotica leniora*, quæ modico stimulo humores ad intestina alliciunt, propagata sua virtute in systemate vicino glanduloso, ut hepate, pancreate etc. omnem se- et excretionem adaugent, diuresin promovent, stases in systemate lymphatico tollunt, omnesque humores fluidisant, et hinc evolutionem materiæ plasticæ ac fibrosæ in sanguine retardant, sanguinem quasi diluunt; unde illorum effectus potentissimi in inflammationibus activis explicandi. — Referuntur hucce sales tartarici, ut tartarus tartarisatus, cremor tartari, tartarus solubilis, sal Seignetti. Sub rheumatica et arthritica præcipue morbi natura excellit: *terra foliata tar-*

tari &ct. — Validiori solum sub febri *salina fortiora* adhibenda, ut: sal Glauberi, arcanum duplicatum, imo et nitrum; — sub pertinaciori alvi obstructione autem clysmatibus emollientibus admixta semper optimos inducunt effectus.

b) *Vegetabilia acido-dulcia*, relaxantia, simulque refrigerantia multum adjuvant illam salinorum efficaciam uti: Manna, pruna et tamarindi. —

Præterea autem respicienda adhuc inflammationis modificatio, a causa morbi dependens.

a) Sufficit quidem hicce remediorum apparatus, si a causa traumatica exorta est ischias. *Inflammatio* tum *genuina* solis remediis antiphlogisticis enumeratis junctim cum fomentis frigidis rite debellatur; si autem specifica quædam causa, uti: venerea, psorica etc. genitrix est morbi, etiam specifica inflammationis natura specialiora adhuc sibi expetit remedia.

b) Si *lues venerea* in causa fuerit, usus *hydrargyri sublimati corrosivi*, (*Fischer* in Huf. Journ. 44. Bd.) vel *muriatici mitis* (*Hartmann*, in Huf. Jour. 48. Bd.) in stadio adhuc inflammatorio quadrant. Cura heroica Louvriana, aliave analoga, posterioribus chronicis demum stadiis reservanda.

c) Si *psorica* subest causa, necessario remedia, in systema lymphaticum eminenter agentia, dyscrasiam hanc in organismo exstinguentia simul cum antiphlogisticis jungenda sunt, nullatenus autem excitantia. Summas laudes hic meretur *sulfuretum hydrargyri stibiatum*.

d) si *arthriticae* vel tandem

e) *rheumaticae* est naturæ ischias, tum præcipue cutis activitas respicienda, hæc restricta ac intercep-

ta libera est reddenda, et si restituta fuerit, per omnem morbi decursum promovenda. Generatim ideo diaphoretica quidem sunt indicata, multum autem interest, quæ ex magna faragine remediorum huc spectantium eligantur.

Si illa dispescimus in *diaphoretica calida*, i. e. universali systematis irritabilis excitatione sudorem promoventia, et in *diaphoretica non calida*, quæ peculiari sua relatione in systema cutaneum, transspirationem adauctam provocant, quin systema sanguiferum excitent, certe quisque probabit, hocce in stadio inflammatorio diaphoretica non calida. Quadrant ideo:

a) *in usum internum*, potus copiosiores, tepidi relaxantes, uti infusa verbasci, sambuci, decocta altheæ, farfaræ, hordei etc.;

b) *in usum externum*, involutio partis affectæ linteis calidis, panno cerato, gossypio, vel stupa cannabina etc. tepide impositis.

Hæc sunt, quibus ischias vigente adhuc inflammatione debellari debet, et certe sæpius facile devincitur. —

B.

Cura stadii exsudativi.

Si nihilominus, incassum tentatis antiphlogisticis, aliisque supra recensitis remediis, morbus vel ob nimis altum inflammationis gradum, vel ægri inobedientiam, aliamve causam accidentalem, in stadium exsudativum transivit, adaucta ideo humoris serosi secretio activa in nervi vagina essentiam morbi sistit, aliæ indicationes exsurgunt, aliaque ideo remedia in auxilium vocanda. Est enim nunc medici problema, vel activitatem excedentem

vasorum exhalantium compescendi, vel activitatem vasorum resorbentium evehendi, ut æquilibrium inter hæc duo sibi polarice opposita systemata restituatur, et materia plastica nimia copia accumulata ex nervi vagina efferatur. Attingitur hicce scopus duplici ratione; vel enim directe remediis peculiari modo in systema lymphaticum agentibus activitas vasorum resorbentium ad altiorem gradum evehitur, plasticitas humorum destruitur, massa humorum fluidisatur, talique modo stases ad organa excretoria devehuntur et partim per cutim, partim per renes ex organismo efferuntur.

Prodest autem altera quoque medendi ratio indirecta, irritatione nempe organi antagonistice oppositi, hic cutis excitata, quo fit, ut hujus activitate adaucta, illa interioribus in partibus imminuatur et ideo exhalatio illa abnormis minus rapide absolvatur, ulteriorque ideo exsudatio impediatur. Simul nonnulla remedia eo quoque agunt, ut per adauctam secretionem serosam in cute profundius accumulata brevissima via extus devehantur, materiali quadam ratione eliminentur.

Respondent scopo priori præcipue *antimonialia*, *mercurialia*, *ammoniacalia*, *sulfuracea* et *digitalis* tum interne assumta, tum ad partem dolentem forma unguenti illinita. Altera autem medendi ratio absolvitur solis remediis externis, plerisque classi irritantium appertinentibus, quæ sunt: *balnea* et *fomenta tepida*, *frictiones rubefacientia* et *vesicantia*.

1. *Antimonialia* refracta dosi ingesta præcipue in systemate vegetativo, in quo morbus nunc residet, virtutem suam exserentia omnes secretiones adaugent, quod manifestum fit per diaphoresin auctam, per acceleratam et magis serosam secretionem muci in bronchiis et tubo intestinali, minus per diuresin auctam. Sunt hae secretiones adauctae in exaltata fundatae. Easdem

fere virtutes exserunt, externe e. g. sub forma *unguenti Autenriethi* applicata, hac solum differentia, quod locales effectus in exiguam distantiam propagati percipiantur, simul autem irritatio quaedam vehementior in cuti, non sit neganda, quae autem irritatio utique est exoptata.

Inter praeparata antimonialia in usum internum initio stadii secundi multas sibi promeruit laudes *tartarus emeticus*, refracta dosi porrectus, sat profunde systema lymphaticum virtute sua prehendens, uti docent observationes *Tothergilli*, qui in curanda ischiade ad vesperas calomelis gr. 1 — 2, et haustum ex gutt. 30 vini stibiati, gutt. 25 laudani cum aquis alexiteriis propinavit, talique ratione ischiadem ex integro profligavit (*Barthez.*) Phlogosi omni tandem evanida principalem sibi vindicat locum *sulfur auratum antimonii*, quod praeparatum ob suum connubium cum sulfure profundius adhuc systema vegetativum petit, totiusque systematis lymphatici et glandulosi activitatem prae aliis fortius accelerat, et virtute sua solvente mercurio prope accedit. (*Vogt.*)

2. *Mercurialia* in systematis vegetativi altiori sphaera, ubi vasa adhuc sanguifera praevalent, eosdem fere effectus producunt, ac antimonialia; minus quidem in secretionem externam, praecipue diaphoresin, magis tamen in liquationem massae organicae et in immediatam materiae plasticae destructionem agunt, et ideo pseudoplasmatibus adeo inimica sunt. Praeferendus tamen hic usus eorum externus forma unguenti, cum iidem inde producantur effectus, pars affecta magis immediate attingatur, et locales potius exserantur solum effectus (*Vogt*).

3. *Amoniacalia* parva dosi ingesta primariam suam virtutem in systemate nervoso, imprimis peripherico e

medulla spinali et gangliis prodeunte excercent, activitatem in omni directione hic evehunt, propagato hoc effectu vasa et fibrae musculares ad validiores reactiones exstimulantur, quin tamen circuitus sanguinis multum acceleretur. Eadem ex ratione omnis metamorphosis in systemate vegetativo acceleratur, id quod thermopoësi ac diaphoresi in cuti externa aucta, diuresi evecta, secretione muci in bronchiis copiosiori etc. manifestatur. Eosdem sed locales effectus exercent, si externe applicentur. Quadrant huncce in scopum optime sales ammonii neutri, uti: ammonium aceticum, muriaticum, nitricum etc. (*Vogt.*) Experientia quoque testatur hosce laudatos effectus, praecipue *ammonii muriatici* vel interne vel externe in connubio cum *mercurio sublimato corrosivo* in usum ducti, et quidem forma lationum aut fomentorum tepidorum, quae parare jussit in ischiade Cel. *Dr. Hartmann* (Huf. Jour. 47. Bd.)

4. *Sulfur* in suo effectu totali, fluidisatione nempe in sphaera vegetativa, resorptionis acceleratione, et secretionum incitatione manifestato, magnam habet analogiam cum mercurio et antimonio. Dantur tamen plura discrimina, quae modo illud, modo haecce jubent praeferri; sulfur enim potentius agit in superficiem externam, cutis secretiones lente quidem ac successive, ast fortiter et perduranter promovet, quin adeo multum exaestuet, et hac sua virtute mercurium imo et stibium antecedit; minus tamen potenter in superficiem internam, uti bronchiorum, intestinorum, renum etc. agit. Secretiones sulfure excitatae sunt magis saturatae, materia animali impregnatae et minus fluidisatae ac de mercurio et stibio. — Minorem quoque exercet efficaciam in systemate lymphatico, potentius tamen in altiori vegetationis sphaera, ubi

vena jam vasis lymphatici vices supplet, in systemate capillari vegetationem aggreditur, et illum profunde, atque constanter ferit. (*Vogt.*) Patet inde magna sulfuris efficacia in affectionibus chronico-rheumaticis, illisque a suppressione cujusdam secretionis sanguineae, praecipue haemorrhoidum, mensium etc. pendentibus patet, cur tot exsteut exempla ischiadis, usu thermarum granensium ab *Cel. Reumont* (in Huf. Jour. 45. B.) sanatae. — —

5. *Digitalis* minoribus porrecta dosibus vegetativam solum vitae sphaeram aggreditur, et eminenter resorptione incitata diuresin adauget, quin organo uropoëtica cantharidum ad instar irritet; magnam exercet efficaciam in universum systema lymphaticum; lympham fluidisat; stases in membranis serosis ac fibrosis resolvit; pari autem gressu quoque processus assimilativus retardatur, chyli-et sanguificatio imminuitur; nervositas et irritabilitas simul debilitatur, ita ut pulsus fiat tardus, debilis, suppressus. Inde explicandi effectus salutiferi, quos attulit digitalis, tum interne forma pulveris vel infusi, tum externe forma unguenti adhibita in inflammationibus chronicis, praecipue membranarum serosarum ac fibrosarum, male solutis et exsudationibus, pseudoplasmatibus, imprimis serosis terminatis (*Vogt.*); quare etiam *Cel. Sachs* digitalis usum in curanda ischiade laudat. — —

6. *Balnea tepida* (ad 26 — 28° R.) simplicia, serius etiam saponata, aromatica imo et salina et sulfurata, multum adjuvant effectum remediorum supra recensitorum, praecipue in ischiade rheumatica vel arthritica. Tepore enim aucto, corpus aequabiliter circumdante, vasa cutanea fiunt magis premeabilia, cutis relaxatur; simul omnis circulatio corporis humorum acceleratur; tonus vitalis intenditur; metamorphosis

organica rapidior absolvitur, et inde fluidisatio pseudoplasmatum eorumque excretio tum per diaphoresin quam diuresin explicanda; simulque ob restitutum aequilibrium inter periphericum et centrale nervorum systema dolores sopiuntur. Ast hic etiam morbi duratio respicienda, ne sint balnea, stadio inflammatorio vix absoluto, nimis calida; seriori autem in stadio sint calidiora, plus incitantia, saponata, aromatica, imo et salina et sulfurata; optime naturalia ut: Achen, Baaden ad Viennam, Teplitz, thermae Carolinae et Marianae, Tetschin.

7. *Fomenta tepida* eosdem fere producunt effectus, quos balnea, sed solum locales, nec adeo universum organismum excitant, et tutius ideo adhibentur, ubi congestiones versus caput aliæve universi organismi sequelæ balnea faciunt timenda; sedulo autem sunt renovanda, ne calore amisso refrigerium inducant, et inde plus damni enascatur.

8. Analogam exserunt virtutem *frictiones cutis calidae*, de quarum efficacia pulchre dicit *Celsus*, et statuit: „usum frictionum omnem ex una causa pendere, quæ „demit. Nam et adstringitur aliquid, eo demto, quod „interpositum, ut id relaxetur, effecerat; et emolli„tur, eo detracto, quod duritiem creabat; et imple„tur, non ipsa frictione, sed eo cibo, qui postea ad „cutim, digestione quadam relaxatam, penetrat.“ — Quivis autem facile intelliget, frictiones tum primum esse adhibendas, quando dolor jam eo usque imminutus est, ut frictionem perferre valeant ægri, alias ob dolorum augmentum intolerabiles potius nocerent; hinc etiam frictiones primo panno solum molliori calido, postea autem rudiori, vaporibus aromaticis, spirituosis, camphoratis impregnato instituendæ.

9. *Rubefacientia* cuti imposita excitato pruritu, qui pedetentim fit dolorificus ac urens, producunt erythema,

superficialem cutis inflammationem. Hicce autem effectus profundius propagatus provocat secundarios quosdam, partim ex consensu, partim ex antagonismo explicandos effectus.

Consensuali enim modo vitalitas per omnem cutis extensionem evehitur; cutis laxa ac frigida fit iterum densior et calida; vel si spastice tensa, sicca ac frigida fuerit, mollior ac calidior naturaliter transspirat. — Evecta activitate in systemate peripherico nervorum, consensuali modo etiam in truncis nervorum imo et organis centralibus vitalitas excitatur, energia et tonus in illis expergefit. Antagonistica quoque ratione erethistica nervorum centralium agilitas irritamento ad peripheriam applicito, compescitur, et aequilibrium functionum restituitur. Hi effectus secundarii etiam in systemate irritabili manifestantur; affluxu enim sanguinis ad cutim majori, functione cutis irritabili evecta fit, ut congestiones in organis internis tollantur; vasa ideo majora a sanguinis copia liberata habilia iterum normaliter fungendo reddantur.

Si tandem cutim, tanquam organon secernens, ad reliqua processus vegetativi organa referamus, sponte patet, qua ratione sub diaphoresi evecta, resorptio aliis in organis interioribus quoque evehatur, stases tollantur, et ex organismo eliminentur (*Vogt*). Patet inde magna utilitas rubefacientium in affectionibus, praecipue ab alterata cutis activitate pendentibus, hinc praecipue rheumaticis, et cur fracta phlogosi epispasticum impositum omnem obsolvat saepius curam, uti praedicat *Sachs*. — Ubi autem non solum dynamicae functionum perturbationes, sed constantiores jam modificationes in massa organica sunt evolu-

tae, exiguam vel nullam exercent efficaciam, et potius tentanda:

10) *Vesicantia*, quae praeter rubefacientium virtutem, et illam exserunt, quae ex suppuratione producta est derivanda. Inflammatio enim erysipelatosa fit phlegmonosa, abit in suppurationem, vesica rumpitur vel eschara separatur, et copiosum funditur vel serum tenax, vel merum pus; — copiosiori hac secretione purulenta imminuitur secretio morbosa in organo interno affecto; vividior autem viget resorptio interna, talique ratione in ischiadis stadio secundo illud productum morbosum ex neurilemmate eliminatur.

Notandum hic tam de vesicantibus, quam de rubefacientibus, locum applicationis illum esse eligendum, ex quo secundarii quidem illi effectus derivatorii organon affectum attingunt, nequaquam autem primarii, statum irritativum adaugentes. — Assignat ideo *Cotunnius* apponendas esse strias emplastri cantharidum 2—4 pollices latas et 6 pollices longas, et quidem in ischiade postica unam ad regionem exitus nervi ischiadici ex incisura ischiadica pelvis majori, secundum hujusce nervi decursum; alteram ad capitulum fibulae secundum nervi peronei decursum; et tertiam 4 pollices supra malleolum externum. Si autem dolores præprimis in posteriori genu parte persentiuntur, vesicans ad externam articulationis partem esse apponendum suadet *Barthez*. — In ischiade antica, in qua *Cotunnius* vesicantia apponenda quidem nunquam necessaria credit, unum ad anteriorem femoris partem, secundum nervi cruralis decursum, alterumque ad internam cruris faciem in directione nervi sapheni esset applicandum. — Nunquam autem apponatur ad dorsum pedis, constanti enim experimento Cotunnius jam

ipse didicit, nullibi vesicatorium dolentius agere, quam in hocce loco, unde dein amplius idem non tentavit. —

Suadet porro ille vir ingeniosus: „ut vesicans, post-„quam vesica scissa largum fuderat serum tenacissi-„mum, glutinique par per plures dies, dolores tamen „nondum evanuerant, primi vesicantis ulcere consoli-„dato toties iteretur, donec glutineum illud penitus e-„liciatur, et dolores fugentur;" dicitque porro: „Ha-„beo frequentes casus, qui vel tertium vesicans repe-„tito exegerint." — Nec desunt innumera exempla ischiadis, omnibus remediis incassum tentatae, brevissimo temporis spatio vesicatario saepe et unico sanatae, uti testantur: *Cotunnius*, *Van Swieten*, *Stoerk* (annus medic.) *Richter*, *Barthez*, *Reydellet*, *Hufeland* (41. B. 11. St.) *Suffert* (in Huf. J. 61. B. 3.) et infra narrata historia morbi.

Hisce in omni fere casu ischias non nimis inveterata sanabitur; respicienda autem adhuc morbi natura, de qua eadem notanda, quae supra sub cura stadii primi memoravi, et pauca proinde adjicienda censeo.

a) si nempe pertinax inhaeret *lues venerea*, methodus Louvriana certe omnes auferet dolores nocturnos et plerumque cum lue etiam ischiadem ipsam.

b) si *psoriasis* subest ischiadi, antimonialia fortiora, ut: sulfur auratum, antimonium crudum etc.; sulfuracea et Kalina, balnea tepida et sulfurata etc. locum sibi expetunt.

c) si tandem *arthriticae* vel

d) *rheumaticae* est naturae ischias, fortiora singulari virtute in systema cutaneum agentia, simul cum prioribus adhibenda, supra sub classe *diaphoreticorum calidorum* comprehensa; inter quae excellunt: antimonialia, ammoniacalia, praecipue spiritus Min-

dereri, balnea et frictiones tepidae; praeterea autem adhuc: *dulcamara* et *guajacum*, quae peculiarem habent affinitatem ad vasa lymphatica in organis fibrosis, quae sunt propriae sedes rheumatalgiae et arthralgiae. Praeferenda autem hic adhuc *dulcamara*, dynamicam magis sphaeram feriens, quae hocce in stadio est eminenter affecta; et *guajacum* potius torporem istius systematis auferens, metamorphosin ipsam profundius immutans, tertio potius stadio chronico relinquendum.

C.

Cura stadii chronici.

Cum hujus stadii momenta essentialia sint: partium affectarum debilitas, continuata seri alienati secretio magis passiva, hujusque secreti corruptio et acrimonia vellicans, ipsiusque tandem nervi degeneratio; indicantur in genere remedia excitantia, systemati lymphatico et capillari tonum reddentia, metamorphosin alienatam ac depravatam immutantia, pseudoorganisationes resolventia, hasque cum humoribus effusis ac corruptis ex organismi sphæra evehentia, partibus, ob nervi influxum imminutum, tandemque plane sublatum, paralyticis vitalitatem reddentia. — —

Pleraque remedia sub cura stadii secundi enumerata et hicce locum sibi vindicabunt; præcipue *antimonialia*, *mercurialia*, *ammoniacalia*, *balnea et vesicantia*; eorumque continuato usu quam plurimum confidendum. Laudantur autem adhuc plura, quæ sat sæpius optatam induxerunt sanitatem. Cum autem hocce in morbo fere semper systema dermaticum torpens, exhalatio pe-

ripherica imminuta deprehendatur, morbus ipse sæpius arthriticæ vel rheumaticae sit naturae, haud mirum, plurima ex classe *acrium* fuisse depromta. Maximam laudem ex hisce promeruerunt:

1. *Cicuta,* quæ in peripherico universi systematis nervosi polo, factorem tum receptivum quam reactivum deprimit, præcipuam suam virtutem in systemate vegetativo exserit, stases in systemate lymphatico ac glanduloso resolvens ac fluidisans; metamorphosin universam in hocce systemate alterans; simulque cutis functionem evehens. (*Vogt*). Inde explicandi effectus salutiferi, quos adfert cicuta ischiadicis, praecipue si causa rheumatica vel arthritica subest; quod luculenter docet exemplum a *Cel. Stoerk* narratum.
2. *Aconitum* quadrat præcipue in affectionibus inveteratis. Analoga quidem gaudet virtute ac cicuta, prædominatur autem acre, plus ideo solvit, quam sopit, altioremque vegetationis sphæram validius ferit; (*Vogt.*) et multum ideo commendat usum aconiti in dolore ischiadico *Cel. Stoerk* imo nonnunquam cicutæ præfert.
3. Laudatur ab aliis (*Langenbeck*) *Belladonna*, ob virtutem, quam omni vi exserit in sphæra vegetativa; præcipue si morbus ex turbata functione cutis, systematis lymphatico - glandulosi, membranarum serosarum etc. promanat, altiorem sphæram irritabilem ac vegetativam corripuit, et pertinaciter absque reactione universi organismi in sua primaria forma constitit; unde vis medicatrix Belladonnæ in ischiade chronica, et analogo dolore faciei Fothergilli explicanda. (*Vogt.*)
4. Eximiam quoque habet efficaciam *Guajacum*, in curanda ischiade, ubi stadium exsudativum prævalet, vasa lymphatica torpent, diaphoresis est retardata,

metamorphosis in organis membranosis, fibrosis, lymphaticis ac glandulosis in sua miscela est alienata; individuis pastosis, laxioribus minus irritabilibus optime conveniens. (*Vogt*).

5. *Rhododendrum Chrysanthum*, a *Koelpin* valde commendatum, ephemeram solum gloriam sibi vindicavit.

6. Laudatur porro in rheumatalgiis inveteratis et analogo cum ischiade dolore faciei *Arsenicum*, præcipue a *Michaëlis*. (Journ. v. Walther u. Græfe.) et a *Lalaurie* (Journ complement. **1822.** Juin. p. **327.**) — Systema nervosum est, quod primarie ab arsenici virtute incitante ac roborante corripitur, ejusque activitas in systemate vegetativo per omnem directionem exaltatur; et hac ratione simul est roborans ac resolvens, stasesque discutiens (*Vogt*); et proinde in doloribus nervosis inveteratis, habitualibus, abnormi jam processu vegetativo, stasibus etc. stipatis, magnam exercet efficaciam. (*Langenbeck*). Exhibetur ad $\frac{1}{16}$ grani partem pro dosi. Acidi arsenicosi $\frac{1}{2}$ grani parte paulatim consumta, ischias, omnibus renitens remediis, sat brevi sanabatur.

7. *Calcarea et baryta muriatica* analogas fere exserunt virtutes, præcipue in sphæra vegetativa et quidem copiosa muci, urinæ et sudoris excretione; resolutione stasium, ac exsudationum in systemate vasorum lymphaticorum, glandularum ac telæ cellulosæ obvenientium, earumque imminutione ac plenaria resorptione; facile autem heroica illa, fere metallica remedia, majori dosi porrecta vomituritiones, cardialgias diarrhoeas etc. provocant (*Vogt*). Laudantur ideo præcipue in affectionibus arthritico - rheumaticis inveteratis, chronicis neurosibus, a turbata vegetatione pendentibus, et exsudationibus dyscrasicis. Propinantur ad $\frac{1}{2}$ — 3 grana pro dosi in solutione.

8. Nec minus celebratur *oleum jecoris Aselli*, quod leniter alvum movet, diaphoresin autem ac diuresin fortiter promovet; et evecta resorptione interna valde potens est remedium ad resolvendas stases, præcipue a suppressa cutis functione pendentes. Ob virtutem autem suam exæstuantem cautiorem exigit usum. Datur ad cochleare 1 cibarium bis terve de die (*Dierbach*). Nec desunt plura exempla ischiadis, frustra aliis remediis tractatæ, usu autem olei jecoris aselli sat brevi temporis spatio sanatæ, a *Schenk*, *Günther*, *Katzenberger*, *Osberghaus*, *Hufeland* (Huf. J. 55. 59. 61. 62. Bd.) enarrata. —

9. Recentiori etiam tempore *Phosphorus urinosus* in *oleo animali Dippellii* solutus optimo cum effectu in ischiade fuit adhibitus a *Cel. Loebelstein-Loebel.* (Huf. Journ. 44. Bd.) præprimis sequentibus sub circumstantiis: si morbus chronicus evasit, si nulla amplius obtinet inflammatio, et si fortissima jam ac probatissima remedia incassum fuerunt tentata. Evehit enim imminutam sensibilitatem, inde propagato effectu circuitum sanguinis accelerat, ac inordinatum rhythmicum reddit; calorem animalem et sudorem promovet; diuresin adauget; omnem metamorphosin vegetativam incitat. Hinc in ischiade a sudore vel efflorescentiis cutaneis retropulsis, aliisve metastasibus prodeunte et nulla amplius febri stipata, præcipuos exercet effectus salutiferos. Præscriptio commendata est sequens: Rp. *Ol. animal. Dipp.* dr. unam, *Phosph. urinos.* gr. unum. solutis adde *Ol. Cajaput* scpl. unum. M. D. S. omni 3 horio 6 — 18. guttæ sumendæ; — praeterea Rp. *Extr. hyoscyami* scpl. unum — drach. duas, *Salis tartari* scpl. semis — drach. semis. *Aq. menth. pip.* unc. quatuor. M D. S. omni 3 horio alternatim cum priori cochleare semis sumendum; — si-

mul externe grana quatuor Phosphori in unc. semis olei anim. Dipp. soluta mane et vesperi in locum dolentem infricantur; et decoctum specierum lignorum pro potu ordinatur.

10. Multis quoque praeconiis extollitur, praecipue ab *Home*, *Selle et Vogel* usus *terebinthinae coctae*, a *Cheyne* primo propositus tum internus quam externus; principio enim suo balsamico cum acri quodam juncto sub atonia et imminuta cutis vitalitate, in universo systemate lymphatico, minus in membranis fibrosis praestantissimas exserit virtutes solventes; simul etiam systema nervosum praecipue illud spinale ac gangliare immediate prehendit ac excitat (*Vogt.*); et ideo in ischiade chronica inveterata, praecipue in subjectis phlegmaticis, languore systematis irritabilis et torpore systematis gangliaris praeditis exoptatum est remedium; praescribitur secundum *Home* et *Cheyne* terebinthina ad drach. duas cum unc. una melis despumati permixta, et exhibetur mane et vesperi 1 côchleare coffeanum.

11. Analogas fere exserit virtutes *Asa foetida* a *Theden* commendata; suo enim principio balsamico in altiori sphæra vegetativa metamorphosin præcipue in membranis fibrosis evehit ac roborat, æquilibrium inter resorptionem internam et secretionem externam restituit, præcipue si dysharmonia hæc a morboso influxu nervorum spinalium dependet (*Vogt*), et proinde in ischiade inveterata, cum spasticis extremitatum affectionibus stipata præcipue in subjectis constitutione torpida, leucophlegmatica, ac scrophulosa donatis, accomodatissimum est remedium.

12. Multum quoque exspectandum de heroica illa methodo a *Caudet de Vaux* in curanda arthritide et rheumatismo in forum ducta, secundum quam æger

aquas tepidas maximas pro possibili quantitate, ad 40 sextarios usque et ultra exhaurire jubetur; pluresque adfert auctor casus sanatae ischiadis, cujus natura erat rheumaticae vel arthriticae indolis. — Monet tamen *Cel. Widemann* (Huf. Jour. 67. Bd.) abstinendum esse ab ista medendi methodo in subjectis succiplenis, phlegmaticis, quibus energia systematis sanguiferi, praecipue arteriosi deficit, et qui ad apoplexiam, congestiones etc. proni sunt, saepius enim lethalis subsecutus est eventus.

13. Laudat *Cel. Barthez electricitatem*, quae secundum *Mauduyt* consultum tali ratione applicatur, ut aeger sit isolatus, extremitas affecta panno obducta, haecque globulo excitatoris non isolati fricetur, usquedum pruritus exoriatur. Vel secundum *Abbé Witri* conductore parti dolenti admoto, eliciuntur scintillae, usquedum hisce locis noduli exoriuntur; utramque hanc methodum subsequitur sudor sublevans, qui bene sustentandus; — tamen vix praecavebit electricitas recidivam.

14. Multum celebrantur, praecipue a Francogallis infrictiones cum *aethere acetico* (Recueil periodique de la société etc. N. 43. et *Reydellet*); multum quoque auxilii expectatur ab imposito *emplastro diaphoretico Mynsichti*, *emplastro piceo*, opio et camphora juncto. (*Cadet de Vaux*); vix autem si metamorphosis nimis est alterata, multum de illis sperandum. —

Si hisce remediis in cassum tentatis nihilo minus dolores ischiadici perdurant, ad extrema, licet magis dolorifica confugiendum, *acupuncturam* nempe, *cauterium actuale*, et *nervi excisionem*. Licet haec proprie arti chirurgicae appertineant, tamen necessarium, quaedam saltem de his verba proferre:

15. *Acupunctura* virtutem suam medicatricem debere videtur actioni cuidam electrico-galvanicae, vel saltem huic analogae, uti docent experimenta Cel. *Pelletan* (Walter u. Graefe's Journ. 8. Bd.); — nec desunt numerosa ischiadis sanatae specimina, enarrata a medicis *Anglis* (in Edinburgh medical and surgical Journ. 1825.; et London medical repository and review.); a Francogallis: *Bally*, *Béclard*, *Cloquet*, *Pelletan*, *Récamier* etc. (in Walter et Græfe's Journ. 8. Bd.) et Germanis: *Michaëlis* (ibid.) Monet solum *Pelletan*, evitandas esse arterias et nervorum truncos majores; imo docet *Béclard*, ægrum sub operatione lipothymicum factum fuisse, subsequis deliriis et abscessu in loco punctionis formato.

16. *Cauteria* analogam habent cum rubefacientibus ac vesicatoriis efficaciam, præcipue *moxa*; intensiorem autem, et præter hunc effectum illam adhuc exercet *ferrum candens* activitatem, quæ ex ulcere profundo artificiali, adustione producto propullulat, analogam secundario vesicantium effectui, qui autem etiam longe profundior ac intensior evadere debet, uti docent a *Baglivio*, *Van der Heyden*, *Gesnero*, *Tulpio*, *Klein*, (in Walter's und Græfe's Jour. 3. Bd.) *Barthez* etc. enarrata exempla ischiadis, moxa vel cauterio sanatæ, quæ omnibus remediis decantatissimis pertinaciter renitebatur; præcipue si secundum *Petrini* methodum applicabantur.

17. Si tandem *nervi excisionem* dicam, sane plurimi jam nomine abhorrebunt; respiciens autem una ex parte analogiam, quæ inter ischiadem et dolorem faciei Fothergilli obvenit (*Haase*); altera ex parte illum effectum proficuum, quem excisio particulæ nervi communicantis faciei, infra orbitalis et inframaxillaris in hocce morbo praestitit, uti illi casus *Cel. Lizars* (Edin-

burgh medical and surgical Jour. Octob. 1821.) luculenter demonstrant, non possum non confidere actu chirurgico, quo frustum nervi ischiadici, cruralis, sapheni etc. affecti supra locum dolentem exscinderetur. Unicum quidem tantum legi casum excisionis nervi ischiadici a *Cel. Dr. Robert Bayard* (The New York medical and physical Jour. N. 31. Oct. 1829.; u. Froriep Notitzen 27. Bd. Juni 1830.) factae; morte quidem 5. die terminatae, quae autem potius nimio debilitatis gradui, in quo jam aegra prius versabatur, adscribenda, quam actui illi chirurgico. Docet tamen hicce casus, operationem ipsam non adeo multis premi difficultatibus, et tanquam ultimum ischiadis sanandae refugium ulteriorem mereri attentionem.

III.

Indicatio symptomatis.

Haec eo solum est restricta, ut dolores fors intolerabiles, omnemque somnum arcentes, sopiantur vel saltem mitigentur; viresque vitales, sub fine per quantum fieri licet, sustententur. — Verum et hic stadium morbi est respiciendum; hinc primo in stadio ab omnibus stimulantibus probe abstinendum, hæc enim morbum potius exasperarent, præcipue si secundum *Sydenham* et *Raulin* consultum vesperi, ubi febrilis exoritur exacerbatio, propinatur paregoricum, semper enim tum male cessit, ut docuit jam *Stoerk* (annus medicus secund.); adhibenda solum mitiora, uti:

a) *fomenta tepida*, ex lacte, decoctis mucilaginosis parata, et sedulo iterata, brevi tamen fomentis siccis commutanda.

b) *Inunctiones oleosae* tepidæ ex oleo olivarum, lini, hyoscyami etc.

c) *Extractum hyoscyami*, interne forma pulveris assumtum, citissime sæpius lenit dolores, sensibilitatem obtundit, et irritabilitatem vix alterat.

d) *Lactucarium*, remedium opio analogum, præcipue a *Cartwrigt*, *Coxe*, *Duncan*, *Francois*, *Scudamore* etc. commendatum, sensibilitatem ultra normam evectam imminuit, dolores et agrypniam inde ortam aufert, quin capitis obnubilationem, temulentiam, sanguinis orgasmum etc. uti opium inducat; et ideo ad dolores leniendos in stadio inflammatorio opio certe præferendum. (*Dierbach.*)

Fracta autem phlogosi fortiora porrigi possunt paregorica, imo et excitantia erunt præferenda, suntque hujusce generis: *Opium*, *Pulvis Doveri*, *Belladonna* in connubio cum *Digitali* etc.

Vires ultimo stadio labentes suffulciendæ remediis sic dictis *roborantibus*, gradui digestionis accomodatis, hinc fors secundum hunc ordinem: taraxaco, cichoreo, carduo-benedicto incipiendo transgrediendum ad gentianam, trifolium fibrinum, colombo, quassiam, tandem ad corticem cascarillæ et peruvianum ipsum, apte cum æthereo-spirituosis jungendum, ascendendo, marte tandem cura absolvenda.

Externe multum laudantur ad torporem et marcorem extremitatis tollendum a *Cel. Barthez frictiones* cum linteo vel panno rudiori, imo et *verbera* leviora cum arundine tenui, quibus secundum *Suetonii* assertum Cæsar Augustus, singulari femoris ac cruris debilitate affectus, ab hoc malo sanabatur.

Si tandem prodroma illius a *Cel. Sachs* sic dicti catarrhi suffocativi mortis metum incutiant, momen-

tance fortissima incitantia nervina et alterantia petenda, et apoplexiæ nervosæ tractamen in omni extensione instituendum.

IV.

Indicatio prophylactica.

Exigit hæcce, ut recidivæ præcaveantur, pronitasque in illas tollatur, quod optime quidem aliquanto adhuc diutius continuato usu remediorum, quæ sub morbo debellando proficua reperiebantur, attingitur; singularem tamen respectum meretur illa morbose evecta sensilitas partis affectæ, qua fit, ut quivis influxus nocivus hanc iterum partem prae aliis corripiat; haec ideo sensilitas excedens tollenda; cum ista autem maxima ex parte ex debilitate, per affectionem ipsam posita, vel jam ante morbum praesente, originem ducat; summa cum securitate confidendum, fore ut illa sensilitas, robore ac tono vitali in isto membro adaucto, et ad normalitatis gradum evecto, sponte evanescat; indicatur proinde usus adhuc longior roborantium, spirituosorum et aethereo-volatilium partim internus partim externus; usus balneorum pedetentim frigidiorum imo et embrocationum.

Praeterea eo erit sedulo respiciendum, ut cutis functio libera sustineatur ac corroboretur, cui respondent remedia, jam saepius recensita acria, gummiresinosa, aethereo-aromatica et balnea supra notata; Dyscrasiae tandem in corpore latentes aptis remediis, quantum fieri potest, eradicandae. Regimen tandem diaeteticum, per morbi decursum servatum longius adhuc per tempus accurate servandum tum psychicum, tum somaticum; et

monendus ideo reconvalescens, ut caveat pathematibus excitantibus; ut evitet vehementiores mentis affectus, potulenta exaestuantia, omnem nimiam ingestionem nutrimentorum, imprimis difficilius digestibilium; praecipue autem omne refrigerium ex vento perflante vel aquis; remoretur proinde adhuc diutius mente hilariori de sanitate recuperata gaudens, in cubili, aëre puro sicco moderate tepido repleto; et sub coelo solum sereno, solis radiis excalefacto, tentanda deambulatio modica vel vectitatio, semperque in dies protracta, usquedum sanitas et robur ex integro recuperatum perfectum extremitatis usum admiserit.

Historia prima ischialgiae rheumaticae.

F. A. 26 annorum, lanio, temperamenti sanguinei, constitutionis athleticæ, ex parentibus sanis natus, exceptis variolis naturalibus, semper sanissimam egit vitam.

Morbus præsens originem trahit ex refrigerio, vere instante anni 1828. sibi conciliato; æger derepente expergefactus persentit *dolorem scindentem, pungentem, fixum, vehementissime furentem in regione capituli fibulae dextrae*, sursum ad fossam popliteam, deorsum retro malleolum externum usque sese extendentem, remittentem, per vices etiam intermittentem, aëris atmosphærici vicissitudine semper multum exasperatum, motum extremitatis adhuc nequaquam impedientem.

10. *Novembris* 1828 repetita vice refrigerio contracto exoritur vehemens exasperatio dolorum, nunc secundum *omnem nervi ischiadici decursum*, ex incisura ischiadica majori usque ad 3 digitos externos pedis dextri, ægrum vexantium, inamoeno *myrmekismi* ac *stuporis* sensu in dorso pedis alternantium; *pressione motuque* multum exacerbatorum. Accessit simul levis affectio catarrhosa, brevi autem evanescens. Remedia hucusque in auxilium vocavit nulla; cum autem dolores semper increverint, et incessus ob delassationem pedis difficilior et quidpiam claudicans evaderet, nec non insessus et decubitus in latus dextrum impossibilis; æger 24. Nov.

1828. ad scholam medico-practicam delatus. Observabatur morbi gradus sat magnus; dolores enim per omnem nervi decursum accurate decurrentes erant valde *pungentes* ac *scindentes, fere continui, pressionem non ferentes*, tepore aliquantum imminuti; cum sensatione *myrmekismi* in pede alternantes; *motus* extremitatis nervum tendens *erat coercitus* ob magnam dolorum exacerbationem; *situs* in latus dextrum plane denegatus; corpore erecto in lecto *sedere* non valuit æger; cæterum autem nulla extremitatis affectæ visibilis alienatio, nec prolongatio, tumor, rubor vel calor morbose auctus, nulla febris aut alia morbi complicatio observabatur.

Ordinatum fuit: Rp. *Infus. flor. Verbasci* ex dr. duabus ad Colat. unc. sex, in qua solve: *Tart. boraxati* dr. tres, *Syr. althææ* unc. semis M. D. S. Omni bihorio quantum capiunt 2 cochl. sumendum; pro potu decoctum althææ; applicatio viginti cucurbitarum cum incisione secundum nervi decursum; dein extremitas tota involvenda stupa cannabina calefacta. Diæta $\frac{1}{2}$; mora in lecto.

25. Nov. Dolor in femore aliquanto minor, in crure autem idem perstat; sensatio myrmekismi ac stuporis evanuit; motus extremitatis liberior est. Therapia manet eadem. — De die æger sudavit, et magnam dolorum remissionem assignavit; urina cum sedimento albo furfuraceo. — De nocte parum dormivit ob dolorum exacerbationem; alvus secuta.

26. Nov. Dolores scindentes ac pungentes in omni extremitate inferiori dextra, secundum nervi ischiadici decursum, omni fere $\frac{1}{2}$ hora redeuntes, et sæpe ultra $\frac{1}{4}$ horæ perdurantes assignantur; reliquus organismus cæteroquin in statu normali versatur.

Præscribebatur: Rp. *Infus. flor. verbasci* ex dr. tribus parat. ad Colat unc. sex, in qua solve: *Tart stibiati*

gran. semis; *Tart. lixivae* et *Roob sambuci* āā unc. semis. M. D. S. Omni 2 horio quantum capiunt 2 cochl. sumendum, pro potu decoct. altheæ; — secundum nervi ischiadici decursum *cucurbitae scarificantes* Nro. VI; obvolutio cum stupa cannabina continuatur; Diæta $\frac{1}{3}$. Quies in lecto. — Post cucurbitas applicatas et largum sudorem dolores aliquanto imminuuntur; in femore observautur scindentes, in crure autem obtusi ac prementes, longioresque celebrant intermissiones; in dorso pedis levis persentitur myrmekismus. — Noctu large sudavit, urinæ hypostaticæ ac heri, alvus normalis.

27. *Nov.* Dolor in crure nullus, in fossa poplitea premens, in femore scindens, pressionem melius ferens; motus liberior; myrmekismus, totam extremitatem percurrens solum sub sedendo exoritur, sub quiete mox evanescit; cæterum æger optime valet. Præscribebatur: Rp. *Infusum flor. Verbasci* et *Caul. dulcamarae* ex aa dr. duabus parat ad Colat unc. sex, in qua solve: *Tart. stibiati* gr. semis, *Tart. lixivae* et *Roob sambuci* āā unc. semis. M. D. S. Omni 2 horio quantum capiunt 2 cochl. sumenda. *Balneum* tepidum (ad 28° R.) et *hirudines* Nro. X. ad regionem fossæ popliteæ apponendæ; potus et obvolutio cum stupa cannabina continuatur. — De die large sudavit; dolor in fossa poplitea evanuit, in femore minori perstat gradu. — Noctu bene dormivit; large sudavit; urinas misit hypostaticas uti heri; alvus nulla.

28. *Nov.* Dolores in femore ad 3. usque inferiorem ejus partem percipiuntur punctorii, levioris tamen gradus ac heri; in crure autem nulli; myrmekismus ad pedem restrictus; motus et decubitus ad latus dextrum liberior. Exceptis hirudinibus continuatur in omnibus. — De die vaporose sudavit; — Noctu sudor dolores allevans; alvus nulla; urinae non visae.

29. *Nov.* Dolor in femore jam exiguus; in crure autem dolor pressivus. Therapia continuatur et *balneum* tepidum (ad 28° R.) ingredi jubebatur aeger. — De die post sudorem largum omnis dolor evanuit; motus et decubitus in latus dextrum libere conceditur; alvus deposita. — Noctu optime dormivit aeger, urinae missae cum largo sedimento pulverulento albo.

30. *Nov.* Dolor in femore et crure nullus, solum in fossa poplitea comprimens, sub extensione genu persensus. Therapia continuatur. — Ad vesperas ob dolorem perstantem *sinapismum* ad suram dextram imposuimus. — Noctu ob dolorem urentem ex sinapismo parum dormivit; alvum 2 deposuit; non sudavit; urinae non servatae.

1. *Decembris.* Dolores in fossa poplitea plane evanuere. In medicamine continuatur. — De die leves dolores scindentes post trochanterem majorem dextrum exorti, et perinde aeger sponte sibi imposuit sinapismi partem residuam; dolores fugati; caeterum aeger large sudavit; urinas misit sedimentosas; alvus deposita. — Noctu optime dormivit.

2. *Decembris.* Absque omni dolore dies peracta. Ad recidivas praecavendas praescriptum: Rp. *Extr. aconiti, Sulf. aurat. antimonii* āā gr. duo; *Sach. albi* scpl. duos. M. f. plv. div. in partes aequales Nro. quatuor. D. S. Mane et vesperi pulv. sumendus. Infuso, potu et obvolutione continuatur. Diaeta $\frac{1}{3}$ cum horaeis.

3. *Dec.* Intermissio dolorum perstat; crises per sudores et urinas libere absolvuntur. *Tart.* emeticum ex infuso ob vomituritiones omisimus; in reliquis continuatur. — Sub tempestate hodierna multum variabili, humido - frigida aeger nil sudavit, nec alvum deposuit.

4. *Dec.* Mane adhuc bene habuit. Therapia continuatur. — Ad vesperas autem dolores scindentes ac

pungentes in femore dextro secundum nervi ischiadici decursum, ad condylum externum usque sese protendentes exoriuntur; sensatio myrmekismi ex digitis pedis ad calcem usque sese extendens assignatur. — Noctu quidem bene dormivit, sed nec sudavit, nec alvum deposuit; urinas misit turbidulas.

5. *Dec.* Dolores in femore perstant iidem, myrmekismi sensatio sursum ad suram usque. Ordinabatur administratio balnei tepidi (26° R.) et tum applicatio emplastri cantharidum longitudinis 6 et latitudinis 3 pollicum, retro trochanterem majorem et alterius ad capitulum fibulae, secundum nervi affecti decursum. Medicamen et obvolutio cum stupa cannabina continuatur. Dolores de die jam remisere; et vesicae ex emplastro cantharidum exortae ac scissae largum fundunt serum *flavicans glutinosum.*

6. *Dec.* Dolores praeter illum urentem ex vesicatorio nulli, alvus autem per 3duum jam adstricta, hinc in infuso tart. lixivæ quantitas ad dr. sex augebatur; pulveres et potus continuantur; vesicæ ab emplastro cantharidum excitatæ ac dein scissæ deligabantur linteo butyro recenti impregnato.

7. *Dec.* Optime valuit æger, nullos amplius percepit dolores. Omnia continuantur. Noctu exorta ad horam 9. cephalæa frontalis pungens et oculorum ardor, quam affectionem ex loto pavimento derivandam censeo.

8. *Dec.* Cephalæa et oculorum dolor remisit; dolores in extremitate omnes evanuere; alvus adhuc constipata. Praescribebatur loco tart. lixivae Sal Glauberi ad dr. sex; reliqua continuantur. — De die omnis affectio capitis post largum sudorem evanuit. — Nox optima.

9 — 12. *Dec.* Nulli amplius dolores in extremitate; crises bene procedunt. Therapia sedulo continuatur.

13. *Dec.* Optime æger valetudinarius habet. Ad præcavendam ischialgiae recidivam ordinabatur *balneum* tepidum (ad 26° R.), et 2 vesicantia uti prius applicanda; medicaminibus continuatur.

14—16. *Dec.* Reconvalescentia optima, omnia continuantur, excepto balneo et vesicatorio.

17. *Dec.* Ad reconvalescentiam confirmandam, medicaminibus prioribus sepositis, praescriptum: Rp. *Extr. aconiti* gr. tria, *Gummi-resinae Guajaci nativae* gr. duodecim, *Sach. albi* drachmam. M. f. plv. div. in partes aequales tres. D. S. ter. de die pulv. sumendus; porro. Rp. *Herb. Chamaedrys*, *Herb. Chamaepyteos* āā unc. semis. Consc. M. D. S. pro potu theato in tres partes dividenda.

18 — 19. *Dec.* Optime valuit; crises jam fere absolutae. Therapia continuatur.

20. *Dec.* Valetudinarius, qui domi aliquod per tempus strictum regimen adhuc servare potest, et dimissionem urget, bene monitus, ut omnem errorem diæteticum, animi pathemata, et praecipue refrigerium sedulo evitet, ex nosocomio dimittitur.

Historia altera
Neuritidis ischiadicae rheumaticae.

F. J. delineator 29. annorum, temperamenti cholerici, constitutionis sat fortis, sanissimam semper duxit vitam. — Sub fine anni 1829. peregrinationem instituit pedester sub coelo frigidissimo; exaestuatus consedit et sextarium vini hausit; inde 10. Januarii 1830. derepente febri valida et dolore vehementissimo femoris ac cruris sinistri corripitur; febris quotidie nocturnas celebrat exacerbationes, levioribus signis gastricis stipatas; dolorque in omni ambitu extremitatis tumentis persentitur.

19. *Januarii* ad scholam medico-practicam delatus sequentia obtulit signa pathognomonica. De nocte valida aderat febris cum horrore incipiens, subsequo calore, sed absque sudore; dolor lancinans ac pungens in extremitate inferiori sinistra ex incisura ischiadica majori ad poplitem, ubi vehementissimus viget, et inde secundum *nervi peronei et tibialis antici* decursum ad malleolum usque externum descendit; *pressione, motu*que valde augetur; per vices etiam *sponte exacerbatur*; aeger pedi sinistro soli *insistere nequit*; simulque peculiarem ejus *gravitatem* persentit; — caeterum praeter sitim evectam, linguam muco levi albo tectam, urinam parcam, rubram ac diaphanam, pulsum fortem,

durum, contractum, modice frequentem; et *singularem animi dejectionem* nil morbosi in reliquo organismo inveniebatur. Praescriptum fuit: Rp. *Infus. stip. dulcamarae* ex dr. duabus paratum ad Colat. unc. sex, cui adde *Spir. Mindereri* a. D. *Roob. sambuci* āā unc. semis. *Tart. emetici* gr. semis. M. D. S. omni 2horio quantum capiunt 2 cochl. sumendum; praeterea *balneum tepidum* (ad 27° R.) et *involutio extremitatis affectae cum stupa* cannabina calefacta. — De die status idem. Noctu aeger cephalaea pungente, doloribus atrocibus pungentibus, praecipue in regione incisurae ischiadicae saevientibus, *concussionibus electricis* per omnem nervi ischiadici decursum alternantibus, ac *insomniis inconcinnis* vexabatur; dein large sudavit.

20. *Januarii.* Nunc dolores non adsunt; potius singularis *insolens sensatio pressiva*; et *frigus* quasi emanans in sura sinistra persentitur; tamen dolores *pressione ac motu* illico resuscitantur; caeterum præter magnam dedolationem, linguam muco albo crasso tectam aeger bene habet; cutis sudat; urina coloratior diaphana; pulsus modice frequens, fortis, durus. — Therapia continuatur; *hirudines* Nro. XX. secundum nervi ischiadici decursum apponebantur. — De die status emendatus. Nox bona.

21. *Jan.* Status idem; dolores in extremitate minores. Therapia, omissis hirudinibus, continuatur. — Noctu iterum dolor in extremitate ad mesonyctium usque *horrore* praegresso uti heri saeviebat; tum subsecutus sudor cum levamine.

22. *Jan.* Nunc sat bene valet aeger; modice sudat; urina semper adhuc cruda; alvus a 3duo nulla. — Therapia continuatur. — De die status emendatus. — Nox sat bona; semel solum concussione electrica in pede si-

nistro, et dolore pungente sub extensione genu expergefactus aeger; alvus deposita.

23 — 26. *Jan.* Nunc aeger statum suum laudat; amoene sudat et urinas misit coloris aurantiaci cum enæoremate; dolor retro trochanterem solum per vices redit pungens; motus extremitatis melius conceditur, et pressionem melius perfert. — Therapia continuatur.

27. *Jan.* Status idem. Praescribebatur: Rp. *Sulf. aurat. antim. Extr. aconiti* āā gr. tria, *Sach. albi* dr. unam. M. f. plv. div. in partes aeq. Nro. sex. d. s. omni 3 horio pulv. sumendus; porro Rp. *Flor verbasci* unc. *Stip. Dulcamarae* dr. duas. M. D. S. pro potu theato; balneo et involutione continuatur.

28. *Jan.* Affectio nervi ischiadici quidem vix amplius notabilis; sed exortus de nocte sub *calore febrili* dolor vehemens pungens, ac tumor insignis in humero et cubito sinistro. — Therapia continuatur; praeterea *hirudines* Nro. octo apponebantur ad humerum et extremitas superior tota involvebatur stupa cannabina calefacta. — De die sub copioso sudore affectio topica multo imminuta; urina missa cum enæoremate.

29. *Jan.* Status quidquam emendatus. Therapia continuatur, relicto balneo. — A meridie aeger *concussiones electricas* in extremitate inferiori et superiori dextra secundum nervorum decursum assignabat. — Nox bene transacta.

30. *Jan.* Affectio ischiadica extremitatis inferioris sinistrae et illa superioris sinistrae fere evanida, vigent autem eo vehementiores rheumatici dolores in extremitate inferiori dextra in omni ejus ambitu, caeterum aeger afebrilis. — Dosis sulfuris aurati et aconiti ad gr. quatuor augebatur, reliquis continuabatur. — De die remissio dolorum. — Nox bona.

31. *Jan.* **2.** *Febr.* Status multo emendatus, dolor ischiadicus plane nullus. Therapia continuatur; dosis sulfuris aurati et aconiti ad gr. quinque augetur.

3. — **11.** *Febr.* Excepta levi tensione in poplite sinistro; aliqua cruris debilitate et levi affectione rheumatica extremitatum superiorum æger optime valet; amoene sudat; urinas mittit aliquot dies sedimentosas. Therapia continuatur; per unam solum diem pulveres ob vomituritiones inde exortas seponebantur.

12. *Febr.* In poplite sinistro tangitur levis *tumor* oblongus elasticus, qui dolet sub pressione; *tremit* crus sinistrum sub tentata obambulatione.

Præscriptum: Rp. *Ung. neapolit.* dr. una; *ung. verbasci* dr. duas. M. D. S. in suram sinistram illiniendum; reliqua continuantur.

13 — **17.** *Febr.* Status idem; observatur tamen, quod tumor in poplite secundum nervi decursum sit positus; et sub deambulatione, leves dolores pungentes ibi excitante, crus aliquid *intumescat* et *contremiscat.* Therapia continuatur.

18. *Febr.* Tumor in poplite aliquid imminutus esse videtur; cæterum status idem perstat. — Præscriptum pulveribus sepositis: Rp. *Infus. stip. dulcamarae* ex dr. duabus parat. ad Colat. unc. sex, cui adde *Extr. aconiti* gr. tria, *Vini antimonii Huxsh.* dr. unam, *Oxym. spl.* unc. semis. M. D. S. omni 2 horio 2 cochl. præterea *Emplastrum cantharidum perpetuum* latitudinis 1½, et longitudinis 6 pollicum secundum nervi peronei decursum cruri sinistro apponendum; in involutione et balneo continuatur.

19. — **24.** *Febr.* Statu pertinaciter eodem persistente dosis dulcamarae ad dr. tres augebatur; in reliquis continuatur.

25. *Febr.* Affectione eidem puncto absque ulla mutatione inhaerente praescribebatur: Rp. *Aquae destill.* unc. unam. *Calcis muriaticae* dr. unam. M. D. S. 3 de die gutt. 3 sumendae; reliqua continuantur.

26. *Febr.* — 6. *Mart.* Sub aucto horum remediorum usu tumor in poplite fere evanidus, ille in sura multo imminutus; neque sub pressione exoritur hisce in locis ullus dolor; per vices solum dolores pungentes ac pressivi secundum nervi ichiadici decursum sub motu redeunt. — Vesicans iteratum et *balinearum* (Dampfbad) simul in usum vocabatur; reliqua continuantur.

7. — 10. *Mart.* Ob vehementem, torminibus in ventriculo et vomiturilionibus stipatam diarrhoeam remedia seponebantur et præscriptum: Rp. *Pulv. Doveri* gr. quatuor, *Sach. albi* scpl. duos. M. f. plv. div. in part. æq. Nro. quatuor. d. s. omni 3 horio pulv. sumendus; pro potu *decoct. Salep;* imponebantur abdomini *cataplasmata emollientia;* in balinearo continuatur.

11. *Mart.* Sensibilitate ventriculi et intestinorum sopita infusum dulcamaræ et solutio calcis muriaticæ iterum in auxilium vocatur; in unguento neapolitano, involutione et balinearo continuatur.

12. *Mart.* Dolores in nervo ischiadico quidem nulli, tamen de nocte iterum *concussiones electricae* in extremitate inferiori sinistra somnum arcebant; et *musculi* hujusce extremitatis nonnihil *flaccescunt.* Therapia continuatur.

13. — 16. *Mart.* Ob denuo exortam diarrhoeam et vomituritionem calx muriatica, et pulvis Doveri cum decocto Salep praescribebatur.

17. — 30. *Mart.* Affectione tubi intestinalis sopita, remediis omnibus sepositis solum balinearo continuabatur, sub cujus usu æger adeo reconvaluit, ut, excepta levi tensione ad internum pedis sinistri marginem

et aliqua extremitatis debilitate, absque incommodo et ulla claudicatione incedere valeat.

31. *Mart.* Ad fugandas illas leves ischiadicas affectiones residuas, praescribebatur: Rp. *Aq. dest.* unc. unam, *Muriatis Barytae*, dr. unam; M. D. S. ter de die gutt. 3 sumendae; balineario et balneo universali continuatur.

1. *Aprilis.* Ob peculiarem ventriculi debilitatem barytae muriaticae addebatur *extr. carduo-benedicti* dr. una; reliqua continuantur.

2. *Apr.* Noctu semel *ictus electricus* e basi cranii prodiens, secundum columnam vertebralem et nervi ischiadici sinistri decursum ab aegro persentiebatur; et per vices e planta pedis sinistri per internam faciem cruris usque ad ejus medietatem ascendit *peculiaris sensatio tensionis.* Omnia continuantur, et extremitas tota involvebatur stupa cannabina calefacta.

3. *Apr. Concussiones electricae* de nocte bis redierunt, uti heri; aeger parum sudavit; affectio extremitatis eadem; praeterea autem ructus, vomituritiones et flatulentia observantur. — Baryta muriatica seposita praescribebantur *pulveres aërophori;* reliqua continuantur. — De die symptomata gastrica evanuere. — Nox bona.

4. *Apr.* Concussiones electricae non amplius apparuere. Pulveribus, balneis et obvolutione continuatur.

5. *Apr.* Status idem. Balneo universali additur *sulfureti lixivae* unc. una; reliqua continuantur.

6. *Apr.* — 31. *Maji.* Hydrarthrus genu nunc accedens pedetentium sanabatur alterno usu interno *Calomelis* et *Digitalis* cum *Ipecacuanha;* porro *sulfuris aurati Antim.*, *Dulcamarae*, *Senegae*, *Aconiti* et *Belladonnae;* simul externe in auxilium vocato *Unguento Me-*

zerei, *Autenriethi* et *Neapolitano*, atque iterata vice impositis vesicatoriis. Dolor ischiadicus per omne hoc temporis spatium amplius non redivit; perstabat solum quaedam extremitatis debilitas et cruris tumescentia sub incessu.

1. — 12. *Junii.* Ad debellandas tandem hasce postremas ischiadis residuas molestias, medicaminibus omnibus sepositis, aeger hocce per tempus, ad cutis nervique affecti activitatem' excitandam, embrocationibus tractabatur; tandemque ad reconvalescentiam confirmandam aeger jussus adire *thermas Marianas*, ut extremitati affectae illam terram uliginosam, aëre carbonico, sulfure, ferro oxydulato, natro muriatico, calce et magnesia sulfurica, partibusque vegetabilibus putrefactis adeo divitem, tepide imponat forma cataplasmatum, quorum usus, teste *Cel. D. Kreysig*, cutis functionem se-et excretoriam incitat, vivificat et roborat, et inde sublatum aequilibrium organorum internorum restituit; talique ratione crises, in' affectionibus rheumaticis et arthriticis per cutim perficiendas, salutares inducit, et neuroses in hac sphaera fundatas, ex integro sanat. —

Expositio iconum.

Fig. I.

A Musculus vastus externus.
B. — — rectus femoris.
C. — — vastus internus.
D. D. — sartorius.
E. — — gracilis.
F. — — adductores.
G. — — pectineus.
H. Ligamentum Poupartii.
I. Patella.
K. Musculus tibialis anticus.
L. — — extensor digitorum communis longus.
M. — — gastrocnemius.
N. — — soleus.
O. Ligamentum transversum.
P. Abductor hallucis.
1. 1. Nervus cruralis.
2. 2. Arteria —
3. — — circumflexa femoris externa.
4. — — pudenda,
5. 5. Nervus cutaneus anterior.
6. 6. 6. — saphenus.
7. 7. Ramus profundus nervi peronei.
8. — superficialis —
9. Nervi digitales dorsales pedis.
10. 10. Vena saphena magna.

Fig. II.

A. Os sacrum.
B. — ischii.
C. Symphysis ossium pubis.
D. Musculus glutæus major.
E. — — medius.
F. Caput long. bicipitis femoris.
G. — breve — —
H. Musculus gracilis
I. — adductores.
K. — semitendinosus et seminimembranosus.
L. Musculus gastrocnemius.
M. — soleus.
N. Tendo Achillis.
O. Musculus tibialis anticus.
P. — flexor longus hallucis.
Q. — — digitorum longus.
R. — — — brevis.
S. — et abductor hallucis.
T. — brevis digiti minimi.
U. Os calcaneum.
1. 1. Nervus ischiadicus.
2. Arteria glutæa.
3. — pudenda communis.
4. Nervi cutanei posteriores.
5. — musculares.
6. 6. Rami arteriæ profundæ femoris.
7. 7. 7. Nervus tibialis.
8. — peroneus.
9. 9. — communicantes.
10 Ramus superficialis peronei.
11. — profundus. —
12. Arteria poplitea.
13. 13. 13 Nervus saphenus.
14. Rami musculares nervi tibialis.
15. 15. Arteria tibialis postica.
16. — calcanea.
17. Ramus plantaris internus.
18. — externus.
19. Nervi digitales plantares.

Fig. III.

Sistit imaginem frusti nervi ischiadici ab *Cel. Langenbeck*, massa ceracea subtiliori rubra injecti, ad demonstrandam magnam vasorum sanguiferorum copiam tum in neurilemmate, quam in substantia medullari ipsa. (Langenbeck. neue Biblioth. 4. Bd. 2tes Heft p. 327.)

Theses defendendae.

1.

Inter vitam et mortem oppositio non datur.

2.

Virtus pharmaci medicatrix, experimentis in homine sano solum institutis, omni ex parte concipi nequit.

3.

Methodus antiphlogistica omnem delirii potatorum curam absolvere non valet.

4.

Erethismus causa proxima delirii potatorum.

5.

Miasma et contagium non confundendum.

6.

Rheumatismum pro unica ischiadis causa profitentes, falsam pronunciant opinionem.

7.

Immodicus potus coffeani hodiernus abusus permultorum sexus sequioris morborum in causa habendus.

8.

Putrescentia uteri non speciem febris puerperalis, sed morbum sui generis constituit.

9.

Dolores ad partum non semper in ratione contractionis uteri sunt.

10.

Die Wendung auf den Kopf macht die Wendung auf die Füsse nicht entbehrlich.

11.

Der Mineral-Kermes ist kein Hydrothionsaueres Antimonoxyd.

12.

Der grösste Theil der am schwarzen Staar Leidenden trägt die Ursache seiner Krankheit nicht im Auge selbst.

13.

Nur in einigen Fällen der complicirten Beinbrüche des Vorderarms verdient die Schwebe den Vorzug vor dem Schienenverband.

14.

Die durch die Gelüste der Schwangern bedingten gesetzwidrigen Handlungen sind der gerichtlichen Zurechnung fähig.

Fig. I.




Fig. II.




Fig. III.